

de la Comp. de l'Abt de Gran. B  
R. 7760

CONIURATIO  
IOANNIS LUDOVICI  
F L I S C I .



O anno, ut in Italia ab externis bellis quies fuit, ita intestinis motibus complures eius provinciae partes fuerunt infesta. Eos ordine persequemur; initium facientes à coniuratione Genuensi; que clandestinis consiliis diu ante concocta, in huius anni initia erupit. Urbs Genua, maritimis copijs, ac nauali uirtute satis quondam potens, complures in Asia ora, & in mari Mediterraneo urbes, atq; insulas imperio subiunxit; eiusq; nomen multis insignibus uictoriis clarum fuit, neq; dubitatur, quin ad magnam aliquam potentiam, magnumq; in maritimis rebus im-

A perium

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

de la Comp. de Th de Gran. B  
I

R. 7760



C O N I V R A T I O  
I O A N N I S L V D O V I C I  
F L I S C I.



O anno, ut in Italia ab ext  
ernis bellis quies fuit,  
ita intestinis motibus cō  
plures eius prouinciae par  
tes fuerunt infesta. Eos  
ordine persequemur; initium facientes à  
coniuratione Genuensi; que clandestinis  
consiliis diu ante concocta, in huius anni  
initia erupit. Urbs Genua, maritimis  
copijs, ac nauali uirtute satis quondam  
potens, complures in Asia ora, & in  
mari Mediterraneo urbes, atq; insulas  
imperio subiunxit; eiusq; nomen multis in  
signibus uictoriis clarum fuit, neq; du  
bitatur, quin ad magnam aliquam poten  
tiam, magnumq; in maritimis rebus im  
perium

A perium

## CONIURATIO

perium peruentura fuerit; Pisaniorum finitimerum, qui potentia, ac uirtutis amuli diu fuerant, opibus fractis; bellis Venetis fine quis conditionibus imposito; Mediterranei<sup>q</sup>, maris imperio cum Venetis partito. cum quibus s<sup>a</sup>pè, ac diu bellatum est, uario euentu; atq<sup>z</sup>, aquo, E<sup>g</sup> haud scio, an ausim dicere, superiore Marte: quippe quibus, Clodia capta; diurnaq<sup>z</sup>, E<sup>g</sup> arcta obſidione circumſēsis, ac ueluti fauicibus oppreſſis, nēcessitas expreſſa fit, conditions pacis à Genuensibus bello superioribus, ac tanquam uictoribus, ſuppliciter petendi. Ceterum is gloriae cursus à ciuilibus diſcordiis interruptedus est: quae ambitione nonnullarum familiarum, aequabilitatem iuris cū caeteris ciuibus haud aequo animo fermentum excitatae: adeò cōtinentibus multorum ſeculorum malis Genuensium opes fregere; ut misera ciuitas, prisca dignitate deiecta, modo ciuibus suis parere; modo externalis nationes ultrò accire; ſeſeq<sup>z</sup> illic regendam permittere ſaepè coacta fit. Quibus calamitatibus diu uexata, E<sup>g</sup> la-  
cera-

## FLISCI

2

cerata, ad meliorem ſeſe mentem noſtris temporibus tandem conuertit. Gallis. n. expulſis; ac factionum, quae plurima eſuerant, nominibus extinctis; ciuium concordia, diu multumq<sup>z</sup> agitata, tandem conuenit: nouaq<sup>z</sup> Reipublicae forma cōſtituta eſt; quae in ſatis tranquillum, E<sup>g</sup> pacatum ſtatum res Genuenſium perduxit. Magni autem moliminis res fuit; multisq<sup>z</sup> contentionibus, ac ſtudiorum certaminibus, complures annos, iactata. Praeclari, ac ſalutaris consiliij auctor fuit, uir patrū noſtrorum aetate in primis memorabilis, Octavianus Fregosius. Is, Dux Genuenſii creatus, cum omnes ſuas curas in Patriam à Gallorum ſeruitute liberandam, refq<sup>z</sup> Genuenſium afflictas, ac laceratas erigendas, E<sup>g</sup> restituendas contuliffet; omnium primum, obſidionē intermiſſam arcis mu- nitissimae, qua, ueluti compede, Galli Genuenses cōſtrictos tenebant, maiore conatu repetens, atq<sup>z</sup> urgensi; tandem ad omnium rerum extremā inopiam adductā, ad deditio- ne ſubegit. Aedificata autem fuerat à

A 2 Ludo-

## CONIURATIO

Ludouico XII. Gallorū Rege, loco omniū, qui toto orbe terrarū sunt, natura munitissimo. posita. n. erat in praecelso promōtorio, toto ex silice; quod ab altero cornu portus in altum excurrens, subiecto portui, atq; Urbi ita imminet; ut nullus esset nauibus, arce prohibente, ad portum, atq; ad Vrbem aditus: maritimaq; commercia, quibus omnia Genuensium continentur, planè essent interclusa. Circumluuntur promontorij radices mari; prater exiguum illud spatiū, quo promontorium terra, in peninsula modum, coniungitur: quod ita alta à continenti interscinditur rupe, ut in eam despici, sine quadam animi perturbatione, oculorumq; uertigine, uix possit. Quare nulla erat loci tam muniti expugnandi spes, aut ratio; sed ne ullus quidem, aut terra, aut mari aditus. Arce capta, illud fuit unici, nostra etate, exempli diuina propè uirtutis, specimen; quòd cum Fregosij centumquinquaginta circiter annos, alterno cum Adornia familia dominatu, potiti rerum Genua fuissent; qua res

qua an-

## F L I S C I

3.

quandam ueluti speciem iuris ad Genue imperium, genti suae Fregosiae conciliare uideretur; eamq; arcem in manu haberet, quas suas, & posteritatis suae opes, perpetua, & stabili possessione, in nobilissima, ac praepotenti urbe firmaret; neque decesserent auctores, speciosis consiliis utilia anteferendi; tanta tamen in Octauiano fuerit animi celsitudo, itaq; patriae charitatem omnibus rebus praetulerit; ut arcem è uestigio demolitus sit: Genuensemq; annos memoriae suae, ut ueri patriae liberatoris, immortali beneficio obstrinxerit. Egregium facinus uir ad patriae salutem natus, alio, non minus insigni, promerito cumulauit. Ad cogitationem enim longè sanctissimam, ac pulcherrimam animum adiecit, de ordinibus in concordiam redigendis; factionumq; nominibus extingueris, & exterminandis: quae res Genuam patriam in pacatum statum, post tot secula, esset restitutura; fractasq; & afflictas uires recreatura. Quod è mirabilius fuit in Octauiano, quòd ex eare gentis suae digni-

## CONIURATIO

gnitas, & potentia, quae ex discordiis ci-  
uiū creuerat, illisq; innitebatur; planè extin-  
gueretur: seq; ipse summo imperio abdi-  
care cogeretur. Quòd, nisi Federicum fra-  
trem, longe diversi ingenij hominē, ac cum  
eo factionis Fregosiae principes ciues, ad-  
uersarios habuisset; prefectō ipse incoha-  
ta consilia ad effectum perduxisset. Tenuit  
tamen, ut Duodecim uiri status rerum col-  
lapsarum, ac corruptarum restituendi, &  
emendandi, cōcordiaeq; ciuium constituen-  
dae, crearentur. qui Magistratus, quāvis  
in sequētibus deinceps annis, semper crea-  
tus sit; resq; nunquam planè deposita; consili-  
um tamen suo ipsum m olimine graue, dif-  
ferendo elanguit; ac diuturnitate temporis  
consenuit. Ceterum incidit res, quae confo-  
rita Genuensium studia excitaret; atq; ad  
intermissa consilia de concordia ciuitatis,  
ac bono rerum statu instituendo, toto ani-  
more repetenda inflammaret. Genua enim  
capta, & direpta est: Octavianοq; expul-  
so; Adornij ciuitatis imperio potiti sunt.  
quo icti uulnere complures primarij ciues,

cum

## F L I S C I

4

cum similia à ciuium discordiis sibi quoti-  
die expectanda intelligerent; animum tan-  
dem ad concordiam adiecerunt: Caete-  
rum consiliis obstat uirium imbecilli-  
tas. Ciuitate enim tot seculorum malis  
extenuata, noua Respublica, ac libertas  
suis radicibus haerere non posse uideba-  
tur; nisi alicuius Principis opibus sub-  
nixa. Nullus autem, multis de causis,  
magis idoneus uisus est, ad quem se Ge-  
nuenses conferrent; quam Romanus Pon-  
tifex. Mittitur igitur Dominicus Sau-  
lius legatus: quem Ioannes Matthaeus  
Gibertus, qui summum gratiae locum  
apud Pontificem obtinebat; non modo re-  
pudiavit, molestumq; negotium à se remo-  
uit; uerum etiam Pontifici magnoperè  
auctor fuisse dicitur; ne se in cōsiliū, quod  
multis molestiis, & impēsi ipsum esset im-  
plicatum; tum autem Gallorum animos  
uehemeter offensurum; temerè dimitteret.  
At Augustinus Folieta, qui auctoritate  
plurimum apud Pōtificem ualebat; cuiusq;  
cōsilio multū tribuere solebat Pōtifex: cau-  
sa pa-

## CONIURATIO

sa patriae suscepta, nō prius abstitit in cępto, quām in stando ē suadendo per uicit, ut Pōtifex in causam descendere decreverit; Caeterum institutus consiliorum cursus, Vrbis direptione, Pontificisq; adversis rebus interruptus est. Accessit, quod pereat tempora Galli, Adornis exturbatis, Genuae imperium recuperarunt. qui cum uetera consilia Genuae stabili imperio potiundae nunquām deposuerint; parumq; praesidij ad eam rem in arce tam munita experti essent; ad aliud consilium animum contulerunt: in eaq; cogitatione uersari caeperūt; ut quoniam Genua ipsa subiungi non posset; Saonam, quae urbs esset iugo ferendo, communirent; eamq; sibi in Liguria arcem facerent; quo, uelut freno, Genuensem indomita ingenia constricta tenerent. Potiti autem ea urbe fuerant Galli, priusquā Genuae imperium adipiscerentur, per occulta consilia cum Saonensibus inita: eaq; in primis de causa Genuenses se Gallis tradiderunt; promiso accepto à Gallis, illos Saonam, simul atq; Genua sub illorum ditio-

## FLISCI

5

tionem rediisset, Genuensibus restituuros. Caeterum Galli multa causantes, Saonam restituere recusauerunt; egregioq; opere eā urbem communuerunt; ac ualido praesidio firmarunt; portoriaq; & reliqua uectigalia, Genuensem exactore electo, sibi adiutoriarunt. Enim uero Genuenses tantare percussi, eò impensis instituta concordiae, & rerum emendandarum consilia, quod unum esset imminentis interitus remedium, urgent: tandemq; rem ad effectum perducunt: factionumq; multiplicibus non minibus penitus extinētis, anno Millesimo, Quingentesimo, Vigesimo Octauo, Vere ineunte, concordiam constituant; statumq; rerum emendant; ac nouam Reipublicae formam instituant: Theodo-ro Triuultio, Vicario Regio, rem non impidente; neq; ad suum Regem magnopere pertinere arbitratę, quo rerum status, quaue Reip. forma Genuenses uteretur. Cōcordia firmata, enim uero nemini dubium fuit; quin Saona quacūq; ratiōe recuperaretur: sine qua tantorum consiliorum apparatus

B

irriti

## CONIVRATIO

irriti planè fuissent; Galliq; ipsi Genua exigerentur: quae duo Genuensium res in perpetuum firmabant. Utriq; rei peropportunitus fuit Andreas Auria, Gallorum clas- si, ac maritimorum rerum summae à Rege praefectus: inter quem, & Regem, multae fortè indignationum causæ intercedebant. Nam Saonam à Gallis retinerti, atq; alterum Liguria caput ibi constitui; Vir ea familia ortus, omniaq; de libertate, & dignitate Patriæ praeclara sentiens, ferre non poterat: saepeq; per literas, omnibus precibus à Rege contenderat, ut Saonam Genuensibus restitueret: eaq; prima irritatio animorum fuit. Ad publicam, communemq; cum reliquis ciuitibus querimoniam accesserunt plurimæ, neque ea leues, privatim iniuriae: quae eò procecesserunt; ut tandem Auria Regi stipendia renuntiarit. Quam occasionem arripientes Genuenses, hominem accersunt. qui cum classe in portum Genuae inuestus, libertatis nomine subiecto, & proclamato; Vicarium Regum expellit: Genramq; in liberta-

## F L I S C I

6

bertatem asserit. Ac paulò post Genuenses, eodem Auria cum classe sua annitente, Saonam recuperant. Concordia igitur, ac libertate Genuae firmata, is rerum status constitutus est, ut factionibus planè sublati, sese à praeteritis malis Genua recreare posse uideretur; nisi unum residuum fuisse uulnus; quod cursum ciuitatis ad optimum statum retardaret. Nam odium inter nobiles, & popularis nominis ciues, nunquam ex Genuensium animis penitus extirpatum, sed ad tempus consopitum, erumpere caepit; paulatimq; gliscens, maiores in dies uires sumere: popularibus indignantibus, Adornia, & Fregosia gentibus (quarum in primis potentia populorum dignitas nitebatur) de summo auctoritatis gradu deiectis; ac summi imperij Magistratu (à quo nobiles lege excludebant) studio cōcordiae, cum illis communicato; totam auctoritatem ad Nobiles translatam: Nobilibus uero, & copijs, quibus tum haud parum antecellebant, & Andreæ Auriae uiribus subnixis, ni-

B 2 mios

## CONIVRATIO

mios spiritus sibi fumentibus, ac populares contemnitibus. Augebant animos, ipsius Andreeae, sui corporis Viri, recentia in Patriam promerita; quem liberatorem, & conseruatorem hanc immerito appellabant: statua quoq; in Aedium publicarum area, eius beneficij memoriam, decreto publico, decorarant. Nondum praeterea, non nulli earum familiarum homines, quas rerum perturbadarum auctores fuisse diximus; veteres, & elatos spiritus deposuerat. Grauiter enim ferebant, bac Civitatis concordia opes suas, quibus reliquos solebant anteire, paulatim imminui; seque in caeterorum ordinem cogi. Sed neminem eares aequiter angebat; atq; Ioannem Ludovicum Fliscum, Lauaniae comitem, magnae potentiae, magnarumq; opum adolescentem. Is praeter communem indignationem, suos etiam priuatim stimulos habebat. Ingenio enim natura elato, ad hoc clara gente ortus, quam Auria familia nullis partibus existimaret inferiorem; multorum praeterea oppidorum, & castellarū dominatus

## FLISCI

7

minatus praepotens; Ioannis. Auriae opes supra suas excellere, iniquo animo ferebat. Vulnerabant adolescentis animum viginti triremes; quarū administratio ab Andrea patruo iam tum Ioanni permissa; & successio, una cum summo maritimarum rerum imperio, haud dubiè destinata, summam, ut in maritima ciuitate, auctoritatē, & potentiam Ioanni conciliabant. Augebant indignationē, ipsius Ioannis elati spiritus; pauloq; asperius ingenium, secundo rerum cursu inflatum. Is nobilitū adolescētium cateruis stipatus, vultu, ac respōsis, nō solum Ioanni Ludouico, quem et ipsum contēnebat, stomachum faciebat; sed plerisq; ciuium paucō grauior liberae ciuitati uidebatur. At Fliscus cōtrariam morum rationem ingressus; comitate, et quodam blanditia artificio, hominum studia ad se attrahere nitebatur. Quas res forma dignitas, orisq; & oculorū amabilis quadā hilaritas, mirè adiuuabāt. Quare, cum nobilitatis iurisentū totāferè Ioannis esse cerneret; ad popularē rationem conuersus, ex cognita animorū irritatione occa-

occasione, ac spem sumens consiliorum ad effectum perducendorum; primarios eius generis adolescentes benignè appellando; in eorum caetus familiariter sese insinuando; omniq; ratione iis uenditando; illorum sibi uoluntates adiungere studebat. Igitur, cum intelligeret sibi cū Ioanne haud quam parem contentionem esse: quod in maritima ciuitate maiora esset natalium, quam terrestrium copiarum momenta; ijs quoq; sese muniendum statuens, quatuor triremes de Petro Ludouico Farnesio, Placentinorum, ac Parmensium Duce emit: cum quibus sub Romano Pontifice mereret. cuius conditionis stabilienda, atq; amicitiae cum Farnesia gente confirmandae causa, Romanam proficiscitur. Erant Farnesij, Andreae, & Ioanni in primis, infensi; ob acceptam paucis illis annis, contumeliam. Ioannes enim iussu Andreae, indignantis, quod in controversia de haereditate cuiusdam propinqui sui, parum sibi aequum indicem Romanum Quaestorem arbitraretur; eas ipsas quatuor triremes

remes, cum in illum, nihil hostile metuentes, forte incidissent, haud ueritus Pōtificis Romani maiestatem, caeperat; & Genuā captiuas abduxerat: quas tamē Andreas, monitus à Caesarianis Ducibus, quod ea res magnam inuidiam Casari, sub quo merebat; magnosq; motus in Italia esset excitatura; illico dimisit. Igitur Farnesij, iis iniuriis irritati, cum haud dubium esset, sese Aurie animum, amulo potentiae opponendo, haud parum offensuros; triremes Flisco cupide uendunt; seq; illius opū amplificandarū adiutores fore profitentur. Quin etiam fama est; Fliscum, Farnesiorum consiliis imbutum, eorumq; in primis hortatu, ad consilia de caede Ioannis, impulsum. Quae tamen res nunquam constitit: cum multos annos post caudem Petri Ludouici, de intimo illius familiari, ac scriba, qui fuit ei in omnium rerum consilio; etiam tormentis esset quaesita. Cum auditum esset Fliscum triremes comparasse; Ioannes Caraciolus, Melphiae Princeps, qui cum non paucis Neapolitanis Proce-

Proceribus, in bello Neapolitano ductis  
Lautrechigesto, à Caesare defecerat; Gal-  
lorumq; partes secutus, in Gallia exula-  
bat; ac prouinciae suablpina in Italia erat  
Praefectus; cupidus, quantas plurimas  
posset, Italorum clientelas Regi Gallorum  
adiungere; animum Flisci magnis propo-  
sit is praemii tentare caepit; Quod etiam  
prius, Augustinus Triuultius Cardina-  
lis Romae fecisse dicitur; Simul ostendit,  
cum duae sint Italis hominibus crescendi  
viae, altera Gallorum, altera Caesaris; er-  
rare illum, si putet sese per Caesarem, qui  
totus in Auria, gratia, & meritis possidea-  
tur; in altum aliquem dignitatis locum  
unquam ascensurum. proinde delatas con-  
ditiones, si saperet, ne omittaret; sibi pra-  
sertim amplas, & honorificas. Erant n.  
sex triremium (sitot comparasset, & in-  
struxisset) & ducentorum peditum, in ar-  
cis Montobiae custodiam, stipendia; item  
turmae equitum praefectura; qui bonos  
apud Gallos in amplis habetur; tum in  
domesticum cultum, in singulos annos,  
duode-

duodecim millia Francorum numum.  
Quas conditiones Fliscus non aspernatus;  
rem communicat cum Ioanne Baptista  
Verrina, iuuene impigro, nec medio-  
cris inter populares gratiae, & aucto-  
ritatis. Intercedebat Flisco cum homine  
plurimus usus, ac summa multorum of-  
ficiarum necessitudo. nam cum Fliscus in  
magna esset numaria difficultate; Ver-  
rina pecuniis, partim suis, partim sua  
fide mutuis sumptis, praetii triremium  
magnum partem Flisco confecerat. quo  
beneficio deuinctus Fliscus, in magno ho-  
nore, & benevolentia hominem habebat;  
plurimumq; illi ex omnibus amicis fide-  
bat. Erat Verrina vir, cum ma-  
gni animi, ac magna spectantis; tum  
Nobilitati in primis infensus: ad com-  
mune enim odium, priuatas ipse multa-  
rum iniuriarum causas habere existi-  
mabat. Quare praesentem statum Rei-  
publicae, in quo nullum sibi locum un-  
quam fore speraret, conuellere cupie-  
bat. Ad hoc, aeris alieni magnitudine  
C oppresus,

## CONIVRATIO

oppressus, cum priuata vulnera sese non  
diutius tegere posse consideret; turbanda-  
rum, ac miscendarum rerum consilium,  
sibi in omnes partes aptum existimabat.  
Nam, si infeliciter res cecidissent; fore,  
ut priuatim cadendi necessitas in commu-  
nitam multorum ruina lateret: ut minis  
pudendum homines ducunt, communi in-  
cendio, quam priuato conflagrare: si cō-  
silia processissent; tum uero se in magnam  
potentiam, magnasq; opes peruenturum.  
Eius uero rei, atq; omnem dignitatis suae  
spem in Flisci fortuna positam habebat:  
apud quem se omnia posse intelligebat. Igi-  
tur, cum nouum hoc consilium, rei, quam  
intendebat, maxime aduersariorum intelli-  
geret; Fliscum ab eo magnopere deterrere  
instituit; suam illum causam ignorare af-  
firmans: quippe quod ea res ad eam am-  
plitudinem, quam spectaret, non modo iter  
nullum expediret; sed in primis obsepiret.  
neq; enim illum tam rerum ignarum esse;  
aut dubitare debere, quineares ipsum Ge-  
nuua esset exterminatura. Nam neq; An-  
dreas

## FLISCI IO

dream, qui summam maritimorum rerum  
a Casare obtineat; neq; cateros primari-  
os ciues, quorum uoluntates arctissimis uin-  
culis Casari cōstrictas sint; quod eorum om-  
nis fere res in provincijs, & Regni Cas-  
aris ueretur in foenore, uectigalibus exer-  
cendis, alijsq; quaestibus occupata; Genuae  
esse passuros eum uirum; qui res ad Gallo-  
rum partes trahere nitatur. neq; debere il-  
lum sperare, sese Andrea, & caterorum po-  
tentiorum ciuium consentientibus studijs  
in ipsum unum incumbentibus, posse resiste-  
re. A Patria autem procul amandatum;  
quid tandem illum pro Gallis posse moliri?  
Gallis porro ipsis, cum intellexerint nullam  
in illo adres Genuae mutandas opportuni-  
tatis partem esse; an non subito in contem-  
ptum uenturum? Ita fore, ut eius nomen  
& auctoritas, tantis nunc praemijs expe-  
tita, breui debilitetur; & consenescat.  
Praeposteram igitur illum consiliorum ra-  
tionem, ac uiam institisse. Nam prius Ge-  
nuae potentiam stabiliendam esse: qua cō-  
stituta, eius amicitiam ab externis Regi-  
bus

## CONIVRATIO

bus certatim, atq; amplissimis quibusq; conditionibus expetitum iri. Quare sula colloquia cum Gallis sint instituta, ea quocunq; discuteret modo; Et ad splendidiora animum conuerteret. Mirabundo Flisco, ac quaerenti, ad quaenam splendidiora sese ille uocaret; Verrina, non magis splendida sunt, inquit, quae suasurus sum; quam tibi necessaria: neq; ad illa suscienda tam ego te uoco; quam tua salus impellit. Tu, quae sunt felicium mentium cogitationes; dignitates, opes, summum in ciuitate locum, maritimum Regnum, gratia Regum animo agitas. quas ego res ut non reprehendo; ita salutis rationem tibi priorem esse debere censeo. Licebat tibi, Ditionibus, quas per amplas possides; eaq; quam tibi maiores tui reliquerunt, sorte contentum; quietam Et tranquillam aetatem procul a turbis, Et dimicationibus agere. Caeterum tu maior et animo amplexus; dum ex perpetua dominus tuae fortuna altiorem gradum ascendere conaris; in praecipitem locum te, domum,

## FELISCA II

domum, fortunam tuam improuide disti. Nec dubium est; quin te imminentia discrimina breui sint oppressura; nisi tu illa consilio, Et audacia properas discutere. Alterutrum igitur libi eligendum est; ut, aut ad ociosam, Et priuatam uitam, quam parens tuus sectus est, dum integrum adhuc est, redeas; teq; ab omnibus turbis, Et procellis eximas: aut, si ea quam ingressus es, via tibi magis cordi est; a nulla re, quae illam necessariò consequitur, abhorreas. Iniquo esse in te Ioannem, Iuriam animo, grauiterq; tuam istam triremium accessionem ferre; si non hominis vultus, si non uerba à nimio dolore interdum expressa indicarent; ratio te ipsa satis docere posset. Naualium enim rerum arbitrium, ac dominatum, quem sibi uni totum cupiditate, Et haud dubia spe, iam prident destinauit; tecum communicandum intelligit. Cuius rei, homines adeò alienos participes nolunt; ut ne fratres quidem socios ferant.

## CONIVRATIO

rant quin etiam parentes ipsi non dubitent filiorum sanguine, si illorum cupiditas eminere, & suspecta esse coeperit; securam ac stabilem Regni possessionem sibi firmare. Speras igitur Ioannem ea in re tibi parsurum; quae parentum in filios; filiorum in parentes dextras soleat armare? ac dolorem tam altè animo insidentem, ut ne uultus quidem dissimulatione tegi possit; in uerborum semper contumelias, ac non aliquando in tuam perniciem erupturnum? Cuius à te auertendae una omnino est ratio; si illam ipse in caput machinantis uerteris. Etenim, cum fortuna eam utriq; uestrum necessitatem imponeat; ut alterius salus, alterius peste sit expedienda; is sapientior profecto fuerit, qui in necessario consilio anteuenterit: ac sic secum statuerit; nullum esse locum moriae in eo conatu; qui utriq; necessarius, eum euertat necesse est; cuius cunctatio, alterius celeritate opprimetur. Posset tu Ioanne sublato esse contentus; ni praepotentibus, atq; acerrimis superstitionibus uindici-

## F L I S C I

12

dicibus, non tam Ioannis caede pestem à te remouisse; quam maiorem discriminis molem tibi conflasse uidereris. In eodem igitur facinore amplectendi sunt Andreas ipse Cluria, rerum caput, Adamus Centurio, ac reliqui illius factionis Principes. Haec una est arx salutis, & dignitatis tuae: hoc unum consilium uitam tuā à circumsistentibus insidijs uindicat: hoc tibi eam, quam spectas, potentiam, & auctoritatem parat: hoc tuam amicitiam à maximis Regibus ultrò ac certatim excepti faciet: hoc illos ad tuas conditiones adducet: hoc tibi immensas opes, amplissimas ditiones accumulabit. Neq; uero, inimicis, & insidiatoribus sublati; perfectum opus tibi debes arbitrari: sed ita statuere, opes tuas, non aliter, quam Ciuitatis imperio, posse stabiliri; mutabilia mortalium ingenia, amicorum parum stabilem fidem, rerum humanarum incertos casus tecum reputans. Hoc inter priuatam fortunam, & maximarum rerum spem interest; quod in priuatis cogitationibus

## CONIVRATIO

nibus mediocritas tutissima est. at in magnis conatibus, terminus quoq; progre-  
diare, statui nullus potest: neq; fortuna  
modus nostri est arbitrij; sed mediis consiliis abscissis, ad fastigium emitendum est;  
aut ad exitium praecepitandum. Neq;  
te, si quicquam est in te animi, ac roboris;  
aueris, E solidis consiliis, quae necessitas  
laudabilia facit; inanes rerum species de-  
bent abducere: quod Patriae libertatem  
ereptum ire uidearis. Nam, quem tan-  
dem superbissimorum hominum domina-  
tum, libertatem appellant? aut quae Ge-  
nuae potest esse libertas? Vix in optima  
ciuitate, in concordia ciuium, in moribus  
integris libertas habetur. At intam cor-  
rupta urbe, intam discordantibus ciuium  
animis, intantis inter se partium studiis,  
intam profligatis moribus, nullus est inter-  
dominationem E seruitutem libertati re-  
lictus locus. Tibi igitur Gemae, impe-  
randum, aut seruiendum est Flisce. utrum  
potius ducas; tecum statue. Si imperium  
amplecteris; ad quod te E familia splendor;

E ma-

## FLISCI

13

E maiorum gloria, E locus, quem illi in  
hac urbe perpetuo obtinuerunt, uocat; nul-  
la res, quae hanc cogitationem necessariò  
consequitur; tibi est abominanda. Quid,  
quod hoc consilium nō magis tibi amplum,  
ac necessarium; quam tutum est? Quan-  
quam ingentia facinora ardua esse solent;  
nee sine ingētibus discriminibus ferè fūnt:  
qua tamen fortes, ac magni animi viros à  
summis praemiis petendis haud quaquā  
deterrent. Verū ab hoc quoq; incommo-  
do te fortuna eximit. Primum, ipsi An-  
dreas, E Ioannes, ut in nullo tali metu; so-  
lutè E negligenter agunt: summa domi so-  
litudo: nulla custodia: nulla clientium, aut  
familiarium turba: Ipsi domi, E in publico  
sine ullis corporis stipatoribus: (eam solam  
privatae moderationis speciem retinent,  
in caeteris rebus impotentiissimi Domi-  
ni) triremes cum solo ferè remigio; nul-  
lo praesidio firmatae: in urbe trecenti  
omnino sunt praesidiarij milites. Quid  
igitur negotij erit; cum tu firmissimam,  
ac fideliissimam quingentrum ex clien-

D

tibus,

# CONIVRATIO

tibus, ac tibi subiunctis manum corrogaris; Andream, & Ioannem incautos, loco, & hora destinatis, improuisò deprehensor obtruncare? atq; è uestigio portula-interioris portus à terrestri parte refra-  
Eta; & ostio à maritima, ab una ex tuis triremibus in seßo, triremes in tuam potestatem redigere? Hoc tibi primum opus exequendi consilij esse uolo. Cuius perficiendi precipua spes est in popularium odio; quod inexpiable in Nobilitatem gerunt: quorum non exiguae partis studia iam ego ad te attraxi; ac porrò attrahere nō desisto. ut intelligas; me non magis uerbis, quam sedula impensa opera consilium iuuare. Cum his populare te imperium uolo proclamare. Ad quam uocem, non est dubitandum, quin plebs subito sit consurrecta; & exemplo primariorum, quos tecum uidebit; & insita rerum nouandarū cupiditate impulsa. Quid tum animi Magistratui fore putas, cū pauculis illis praesiariis? Ne ullas quidem satis tutas, aut occultas latebras sibi putabunt, aduersus

tantam

# F L I S C I

14

tantam in se intentam uim; ne dum illi se-sé sint opposituri. Tu quod facere decreueris, bene, ac feliciter tibi uolo euenire. mea quidem fides tibi suspecta esse non potest in eo consilio; quod non magis uerbis dare, quam opera, eaq; nec segni, nec cordi subsequi paratus sum: queq; eisdem me tecum discriminibus obiicit; atq; adeò longè iniquioribus in utramq; fortunam conditionibus. Si enim euentus incoepitis non responderit; idem me tecum interitus manet; cum minore poene subterfugienda spe, si consilia processerint; tu summum imperium, qua re nihil maius homines in hac uita à Deo immortaliter expetere posunt; ego eam, quam tu esse uolueris, fortunam, sumus habituri. Sua sponte in omnianasta & precipitia prop̄sum animum, tanta rei spes oblata in assensum facile traxit. Igitur consilio probato: omniq; Gallo-rum cogitatione abiecta; duobus ex familiaribus suis, Raphaele Sacco Saonensi Inris consulto; & Vincentio Calcanio cubiculario, Ditionisq; suae homine, adhibitis,

D 2 cum

## CONIVRATIO

cum ratione rei gerendae expedire inciperet; inter Verrinam & Calcanium de toto consilio sententiis certatum est. Calcanius enim uereri se magnopere dixit, ne illud eius generis consilium sit, quod specie planum, & facile; experiendo arduum, & impeditum euadat. Liquidius enim se doceri cupere, quid in tanta re suscipienda spegetetur? nam si id solum pugnatur, ut popularis Respublica instituatur; ne ipsum quidem Verrinam dicere ausurum, tanti Flisci interesse; quae Reipublica forma Genuae sit, popularis ne, an optimatum; ut ea de causa nobilitatem delere (id quod necessario faciendum est) in animum inducat: tantamque inuidiam nomini suo confiare non dubitet: tum praeterea se fratres, fortuna domus, tot ditiones in tantam aleam dare. Unum igitur tati certaminis, ac discriminis praetium esse, ciuitatis imperium. At ad illud perueniendi, quam tandem expeditam, aut exploratam viam ostendi? ut n. popularium studia in nobilitate delenda Fliscum habiturum, non sit desperandum;

longè

## FLISCI 15

longè tamen in illis alium animorum habatum fore, in regno Flisco concedendo. Superiorum n. rem popularem esse, popularibusq; natura insitam; ab hac illos uebementer abhorrire. Illudq; esse nonnullorum populorum ingenium, cuiusmodi esse Genuenses constat, ut libertatis, quam ueram & integrum habere nesciant, speciem tamen obstinate retineant. Non esse igitur dubitandum, quin, cum nobilitate partim deleta, partim urbe exacta, tot armatorum milia congregata fuerint; unus aliquis popularis Reipublicae nomen subiiciat: prima uoce missa (ut in talibus rebus ferè fit) reliquos assensuros; popularēm q; Remp. clamatueros, & instituturos. Tanta autem armatae multitudini, quomodo Fliscum cum exigua illa clientium, & sectatorum manu, quam corrogaturius est; restitutum? illud potius uel maximum esse periculum, ne Fliscum, quē solum nobilitatis nomine magis inuisum popularibus facere posse, quam recens meritum commendare; si regnum affectare senserint; tāquam unicūm

com-

communi, ac populari imperio impedimentum, ipsum quoq; de medio tollant. Neq; uero sperandum esse, recentis meriti uerrecundiam illos à facinore patrando retardaturam; quin potius perniciem & interitum Flisco acceleraturam. Ingentibus n. beneficiis, quae magnitudine suarum uenerandi facultatem multum antecessere, illud premium reddere homines solere; ut, quoniam pari gratia referenda, eo ueluti prae grauante onere se liberare non possint; illo, qui beneficium dedit, quiq; meritum exprobrare uidetur, de medio tollendo, se exoluant. Proinde etiam atq; etiam rem considerandam; neq; caeca cupiditate se in tam praecipitem casum dandum: ingentis enim mali sibi non dubiam conieeturam, sed certam speciem in oculis uersari. Non sibi quidem Verrinae fidem, aut prudentiam dubiam esse; quam utranq; multis locis perspecta habeat; Verum magnoperè uereri se; ne ille cupiditate ulciscendae nobilitatis caecatus, in quam hominem execrabil odio efferatum esse constet;

Stet; non omnia, qua in tanta re prouidenda sint, in consilium adhibeat. Proinde rem diutius coquendam. Omne enim in magnis rebus pro operationem, improuidam, & praecipitem esse. Adeo Verrina, magna facinora discriminum plena semper fuisse respōdet; quae tamen fortium, & strenuorum animos nunquam fregerint: hancq; in primis esse inter ignauos, & acres viros differentiā; quod illi incertorum periculorum metu, certam perniciem à se remouere non audeant; sed socordes, & desides se se proculcandos præbeant: contrà, magnos & erectos viros imminentia mala, audacia discutere: dignitatisq; suae uindices, pro libertate & decore omnem fortunā experiri; nō tamen se in ancipites casus temere & incaute demittere; sed quae ratio suadeat, ab iis formidine non abduci. Quare, quae Calcanius proponat, ea eu enire posse, ni ante, ne eu eniant, prouisa sint. Verum non ita suam incogitatam fuisse rationem; ut eadem non sibi quoq; in mentem uenerint, & in omnem euentum præparata

## CONIVRATIO

ratae disposita sunt consilia: neq; enim de-  
let a, & expulsa nobilitate, populoq; ar-  
ma-  
to, censere se, ut Fliscus regnum subito in-  
uadat; sed astu (ut in omnibus magni mo-  
liminis consiliis necesse est) rem ducendam  
esse; populariumq; primoribus demonstran-  
dum a Flisco, sese nihil spectare; quam, ut  
publicae & uerae libertati officientibus su-  
blatis; cōmune omnibus, ac populare im-  
perium Genuae instituatur. Aliquam igi-  
tur Reipublicae formam omnibus aequam  
sibi & illis cogitandam: rogareq; proinde se  
omnes, ut dum ipse in motibus sedandis,  
ac rebus pacandis, omni cura est intentus;  
ipsi interea rē animo secum agitent, ac ser-  
monibus inter se uersent; & omnibus dili-  
genter circumspectis, conueniant, ac pro-  
se quisq; in medium cōsulat; atq; aliqua op-  
tima Reipublicae instituenda forma in-  
eatur. Hoc laxamento cogitationibus da-  
to; interea dum illi deliberant, & inter se  
commentantur; Flisco duo armatorum mil-  
lia ex sibi subiectis, quos ad portas ex an-  
te praeparatos praefeo habeat, in urbem

plus-

## FLISCUS

17

pluribus, ac separatis agminibus introdu-  
cat; per speciem plebeiorum licentiae, qui  
in turbidis, & cōmotis rebus habere modū  
nesciant, cohibenda: ac paulo post, duo alte-  
ra millia à Petro Ludouico Farnesio, Pla-  
centia Duce accersenda, & in urbem simi-  
liter introducenda: qua illum cupide missu-  
rum, haud dubitandum sit; quippe qui tam  
saepè, ac tam prolixè, omnes suas uires Fli-  
scu detulerit. deq; ea re iam nunc Farnesio  
scribendum; ut eas copias in Liguria con-  
finibus quamprimum contrahat; ne sint in  
mora; sed simulatq; accersitae fuerint, ac-  
currat. Tam firmis praesidiis septum Fli-  
scum, enim uero tum ciues ueluti ad delibe-  
randū de publicis rebus, ac Reip. formam,  
sanciēdum, cōuocaturum: qui cum freque-  
tes in aulam maximā togati conuenerint;  
tum se Verrinam, qui cum consciis Flisco  
aſidebit; cōsurrecturum, ac uerba facturū;  
proq; sententia dicturum, nullam tutiore in  
tantis motibus, tamq; diuersis hominum stu-  
diis, neq; salubriore esse Reip. formam, aut  
presenti rerum statui magis aptam; quam,

E

sic u-

si ciuitas ab uno regatur. Id. unicum esse, ac certissimum discordiarum remedium. proinde (quod felix faustumq; sit) se suffragio suo imperium Flisco deferre; Duceq; Genuensium illum creare: Diademaq; si-nu promptum, capiti Flisci impositurum; simul in illius imperia iuraturum; claraq; noce eius nomen subiecturum. neq; dubitandum, quin oes idem facturi sint, res subita oppressi; nemineq;, præ tot circumsisten-tium armatorum terrore, contra tendere audente. Discurrendum deinde tota urbe; ac nomen Flisci, Genuensium Ducis, lati- clamoribus, & plausibus subiiciendum. Fa-cile assensuram plebem; quaenusquam aliò quam ad seruendum nata, utrum ab uno, an à pluribus regatur, in nullo discrimine ponat. Consilio Verrinae probato; rem quomodo geri placeat constituant. Summa fuit; Andream & Ioannem, ac reli-quos illius factionis Principes conuiuio exceptos, trucidaret; ac reliqua fierent, quae Verrina censuerat. Farnesio scribi-tur, ut copias conscribat. quod ille è uesti-

gio

gio facere institit. Mittuntur etiam, qui in Flisci ditione occultè homines contra-hant; qui simulatq; Fliscus annuerit, pra-sto sint: Unaq; ex triremibus, quae ut ad omnes casus, & ad subita Flisci consilia parata esset, stipendiis Pontificis consulto praeterita fuerat; Genuam accersitur, per causam sumptus sui in Piratica exercen-di: per eadem triremis instruendae specie, ex ditionum suarum hominibus fortissi-mum, & audacissimum quenq;, quem ad omnem uim, & facinus paratum haberet, euocat. Ipse interea dabat operam, ut nō modo popularis iuuentutis Principes, iam sibi deuinctos; omni se se illis ratione uen-ditando, ac popularem Rempublicam non tam uerbis, quam significatione ostentan-do, retineret; sed noua' etiam studia sibi adiungeret; ac quamplurimos posset, ex omni genere homines undique amicitia com-prehenderet. quam rem, cum ipse, usita-to blanditiae artificio, tum Verrina ege-gio uoluntatum conciliandarum artifice, administro, facile assequebatur. nec mino-

E 2 re

## CONIVRATIO

re interea opera, omnem suspicionem ex tā familiari cum populari iuuentute consuetudine, apud Nobilitatem detestari studebat. Ad omne n. simulationis artificiū animum uersans, domum Andreae familiariter, ac crebrius etiam, quam ante auentitando; paruulos Ioānis natos amplexando; omni deniqꝫ pietatis, & obsequij simulatione senis canitiem eludebat. tantumqꝫ iis artibus perfecerat, ut Andreas, monen tibus ut sibi à Flisco caueret, quē magnum aliquid animo agitare haud dubium esset; fidem non haberet. Quin etiam, cum res in ditione Placentina non ita occulte admi nistrari potuissent, ut nō manarent; Ferdi nandusqꝫ Gon̄aga per exploratores compe risset, Flisci nomine delectum haberi; isqꝫ Mediolano per literas Andreā monuisse, ut caueret; Fliscum n. res nouas Genuam o m liri, atqꝫ occulta consilia ad illum oppri men dum struere, sibi cognitum, exploratumqꝫ esse; palam dixerit, nō se posse adduci, ut cre dat; anti sceleris facinus, tanta ingenij mo rumqꝫ suauitate, tāqꝫ prop̄ coelesti aspectis tegi.

## FLISCI

19

tegi. Igitur cum omnia satis parata esset, ac dies facinori destinatus appropiaret; incidit res, qua consiliū tardauit. Andreas n. subito morbo implicitus, ad conuiuū uenire non potuit. qua spe Fliscus, & socij deiecti; rem in aliud tempus differre coguntur: consiliumqꝫ in noctem conferre, tutius. & exploratiū uisum. Ea fuit nox antē quartum nonas Ianuarias. dies, qui eam noctem antecedit, cum uenisset; Fliscus, ut firmioribus sese praesidiis ad rem conficiendam cōmuni ret; nōnullos ex militibus publi cis ciuitatis stipendiariis, in aedes suas con gregat. quā rem cum ad Andream deferri necesse esse intelligeret; suspicioni anteuer tēs, cum de more illum adiisset; post hilares, ac blandas salutationes, non posse se, ait, sti pendiariorum militum, quibus domum refertam habeat, studiis resistere; qui se pre cibus fatigent; ac locum sibi intrare, quā ea nocte in Piraticam misurus sit, depo scant. proinde ne miraretur, si uel bombar darum, uel alterius rei strepitū, ea nocte, ex portu exaudisset. Nox cū uenisset, circiter quar-

## CONIVRATIO

quartam horam, domum Thoma Afferii,  
in qua adolescentium popularium conuen-  
tus ex consuetudine habeantur, prefectus,  
omnes, quicunq; ibi reperti sunt (fuerunt  
autem ad tres & vinti) secum ad coenā,  
in aedes suas dicit. Eae in edito urbis lo-  
co, in ortis Carinianis, ad Diuae inuola-  
tae, sitae, procul à continentibus aedificiis,  
in primis idoneae erant ad tumultus, &  
strepitus occultandos; quos in tanta tur-  
ba, atq; armorum tractatione fieri necesse  
erat. Ac Verrina à se dimisso; qui, & pu-  
blicas, & Andreae aedes, caeteraq; ur-  
bis loca circumiens, exploraret num qui  
motus, aut num qua suspicionis signifi-  
atio, usquam fieret; Iuuenes in cubiculum  
seductos ita allocutus fertur. Ad caenam  
uocatos Iuuenes, nullis uos opiparis epi-  
lis accipere potui, quam quibus tot anno-  
rum auditatem expleretis. En optatus  
dies uenit; En oblata est facultas omnibus  
notis expetita, tot nobilitatis iniurias, &  
contumelias ulciscendi. Omnia enim no-  
bis praesto sunt multorum mensum dili-

gen-

## F L I S C I

20

gentia mea parata: strenuorum ac fideliſ-  
ſimorum Iuuenum omneq; discrimin pro-  
me subire paratorum egregia, ac numero  
etiam firma intra urbem ipsa contracta  
manus; infimae plebis studia ad meum nu-  
tum confiſſecturæ; externa Principum  
auxilia, quæ in propinquo ſunt; popula-  
ris nominis ciues, qui omnes ferè cognati-  
onibus, & affinitatibus uos attingunt,  
eadem qua uos indignatione ardentes; qui  
ſimulatq; triremes in potestate nostra ui-  
derint, & aduersariorum Duceſ ſubla-  
tos (utrumq; autem mihi facile & expe-  
ditum eſt) conſilia ſunt nobis cum coniu-  
cturi: cum contrà inimici nostri ſecurum  
aerum degentes ab omnibus rebus impa-  
rati ſint. Diis igitur bene iuuantibus, ad  
rem exequendam properemus. ad quam  
cohortandi mihi non eſtis Iuuenes; qui  
mihi ardore, & ſtudio debetis praecurre-  
re. neq; enim ego uobis huius conſilij au-  
tor ſum, ſed uos potius mihi; qui me af-  
fiduis querelis ueſtris ad illud impulisti,  
indignatibus & acerbitatibus, quibus

uobis

uos per hos annos inimici uestri presserunt; Et nunc cum maxime premunt, accensum in quarum rerum societate, tantum abest ut illi me, qui ex illorum corpore nemini secundus sum, perducere unquam potuerint; ut contra me ab illorum catu subduxerim, ac studia uobis cum coniunxerim; Et honestatem causa fecutus, Et maiorum meorum uestigia imitatus; quos idē sapè fecisse accepi. Qua de causa nunc illi s magno in odio sum. Verum ego eiusmodi hominum odium, Et gratiam in quo pono. Ceterum acriones stimuli ad ultionem petendam esse debet uobis uestrae iniuriae, quam mihi dolor ex uestris iniuriis: qui nullare sum ab illis priuatum laesus; ac uestram tantum uicem indignor. Nam per Deum immortalē, cui tanta arrogātia non stomachum faciat? aut quid est, quod illi tantoperè uos cōtemnant; ac nullo numero uos esse uelint? perinde quasi illi e coelo; uos omnes e coeno nunc primum existatis: ac non pleriq; è uobis honestiore loco, ac clarioribus maioribus, quam pleriq; eorum orti sint. Iam uero

cuius

cuius tandem est iniuriae ac superbiae, leges Duodecimurales tanto totius ciuitatis consensu sanctitas, perfringere; quibus omnium ordinum dignitas ex aequata est; factionumq; nominibus plane exterminatis, unum totius ciuitatis corpus cōflatum est; parq; dignitatis locus (quod tuenda cōcordia in primis est accommodatum) oībus in Rep. constitutus? Hanc sanctissimā legem, qua tranquillus ciuitatis status cōtinetur, labefactare; atq; adeo euellere; quid aliud est, quā ciuiles discordias, quā consopita uidebantur, excitare; ac ciuitatem in antiqua mala redigere? nullus n.ad turbas Et seditiones excitandas acrior est stimulus, quam honoris Et dignitatis cōtentio. Quod eò indignius est illos conari; quod in hac ordinum aequalitate, illi à uobis maximum, uos ab illis nullum beneficium habetis; summo ciuitatis imperio, ac Ducali honore, qui uester semper fuit; cum illis, pacis Et concordiae causa, sponte communicato: quae res in reliquis liberis ciuitatibus magnarū dimicationum, ac turbarum semper causa

F fuit.

fuit. Indigna haec per se sunt, ac non ferenda; verum alia longe atrociora instant: quæ uos non patiar diutius ignorare. Ioannes enim Auria, quem isti ducem sibi assumperunt; (cuius uiri intolerabile ne superbiæ, & arrogantiæ, omniumq; hominum contemptum; an immanem cupiditatem & ambitionem prius detester?) non contentus principe in ciuitate loco, ad altiora iam tendit, atq; imperio animum adiecit; eiusq; rei, quod mihi compertum est, à Casare diploma habet. Verum, quo minus consilium nefarium exequatur, ego ac fratres mei sumus in mora: quos de medio tollere molitur; ut incobata consilia, nemine obstante, ac reliquis cædo nostra perterritis, ad exitum perducat. Nibi igitur præuertendum est Iuuenes, ne sedens opprimar. Properemus igitur ad iustas poenas expetendas ab iis; qui mihi animam, uobis libertatem eripere student. Neq; in eo consilio cunctandum est, quod ante a probandum, ac laudandum, nunc patriæ charitas, & seruitutis periculum etiā necessarium

rium & pius faciunt. neq; debet quisquam ab eo, aut timore deterreri; aut quod sese in nimis præcipitem casum dare uereatur, retractare. nam ut omittam, tutæ & quietæ consilia iis, quibus secundares sunt, aptæ esse; oppressis, ab audacia subsidium petendū; nullum discriminadimus. Omnia n., ut in nulla re suspecta, illis sunt soluta, & neglecta; nullæ custodiae; nullæ uigiliae; nullum in triremibus satis ualidum praesidium: primaq; nunc quies omnes ueluti sepultos tenet. Incredibiliq; nostra felicitate fit, ut necessarium consilium cum pietate, ac summa etiam securitate coniungatur. Illud extreum res me pronuntiare inuitum cogit. Si quis uestrum tāta sit perfidia, qui me in eo consilio deserat, quod causa in primis uestra sum ingressus; is sciat meam, & caeterorum quibus septi estis, dextræ in se, ueluti proditionis noxiæ armatas. Cum perorasset Fliscus, tantæq; ac tam subitæ rei stupor omnibus uocem primo inclusisset; simul armatorum circuſtantium horribilis offusa oculis spe-

cieſ animos defixiſſet; praeſens pauro, fu-  
turi diſcriminis metum uicit: cum magis  
non probare, quam non ſequi conſilium ſeſe  
poſſe in telligerent. ſecuturos ſe igitur quo-  
duxiſſet, pro fitentur. Duo tantum fuere,  
qui, ſuē uero, ſuē ſimulato timore, ſocia-  
tē deprecati ſunt: cum nō ueriti eſſent con-  
fiteri, ſeſe tractandorum armorum inſolen-  
tes, tela horrere; ac ſimul ac gladios edu-  
ctos uiderint; trepidatione ſua, & fuga, tur-  
bandis potius rebus, & imminuendis reli-  
quorū animis, quam ulli auxilio futuros.  
Venia data eſt à Flisco ſuam ipſis ignauiam  
conſitentibus: hominesq; cubiculo ſunt in-  
cluſi. Interfuit orationi Paulus Pansa,  
iam inde à prima aetate in Fliscorum do-  
mo educatus: uir grauis, & quieti inge-  
nij. Is mentionem facinoris abominatus,  
Ne iſtud inquit, Deus immortalis ſinat,  
permittatq; ut tu nefario, ac praecipiti  
conſilio te, fratres, domum, rem, famam  
perditum ire properes: atq; in lachrymas  
effuſus, Fliscumq; complexus, ac paulum  
ſeductum, matreq; adhibita; per infeli-  
cem

ſenectam ſuam, per familiaritatis ne-  
ceſtitudinem, ac per quaecunq; iura ho-  
mines inter ſe coniungunt; orare, obteſta-  
riq; caepit; ne ſe perdi torum hominum co-  
filii abduci pateretur: neue impotentie re-  
gnandi cupiditate ita raperetur; ut non  
ad atrocitatem facinoris, atq; diſcri mi-  
niſ magnitudinem cogitationem conuer-  
teret. An tu inquit, omnia diuina &  
humana iura uiolare, ac perfringere pro-  
nibilo habes? Non horret animus totam  
nobilitatem, qua incolumi conſilia tibi  
procedere non poſſunt; inſontem, & imme-  
rentem ad caedem destinare? Andreæ  
ne Auriae, qui pro multis ſuis in te me-  
ritis, ac paterna benevolentia, parentis  
ſanctitatem apud te obtinere debet; quemq;  
longa aetas, perpetuusq; tenor uitae ſine  
noxa in hac urbe actae, eximiaq; in pa-  
triam beneficia omnibus uenerabilem fa-  
ciunt; tu unus, qui pro eius ſalute, fi-  
quis illum petat, latus ipſe tuum ultrò oppo-  
nere deberes; inuentus eris, qui mortem per  
ſummam crudelitatem offeras? Hancine-

maiorum tuorum gloriae, à qua tātum accipis splendoris, gratiam reddis? Hoc scilicet à te reposunt, Innocentius Quartus, ♂ Hadrianus Quintus, Pōtifices Maximi; ut Fliscum nomen, quod illi eximiis uirtutibus suis tam clarum relinquere semper studuerunt, tu tanti parricidij macula (suo enim nomine res appellanda est, nec potest uerborum præstigiis facti turpitudo opprimi) foedares? Age, si nullum ius est tam sanctum, quod non execrabilis dominandi cupiditas uiulet; quae tantate mentis caecitas tenet, ut incerta ♂ praecipitia, tutis ♂ exploratis anteponas? An non uides Ioannis Auriae superbiam, ♂ elatos spiritus, omnibus nimios iam uideri? ac liberae ciuitati in dies grauiores esse? Quid dubitas, si tu contrarium vitae currsum teneas; moderationisq; documenta dādo, te illius disimilem ostendas; quin ciuitatis studia in te paulatim sint inclinatura? tuq; aemulo, sublato, qui iis moribus diuturnus esse non potest, summum in ciuitate locum obtenturus sis? summae sapientiae

tiae loco semper fuit, alienae stultitiae euētum ex tuto operiri. Quid igitur contendis spes tuas improuida festinatione anteire? atq; ea, quae cū tarda securitate ueniunt, caeca cupiditate euertere? Turbulenta, ♂ praecipitia consilia iis tātum apta sunt; qui priuatim degeneres, domi egentes, omnibus contempti, nullam spem priuatis uulneribus medendi, nisi ex malis publicis habent: quiq; in aduerso consiliorum evenitu nihil damni, uel in fama, uel in re faciunt; ab omnibus iis rebus iampridem destituti. Qua uero spē tam praeceps consilium ingrederis? aut quibus opibus subnixus, tantam rem moliris? An animos tibi faciunt pauculi illi ex infima plebe, quos tecum habiturum speras? qui egentes, ♂ inermes, tum autem subitis mutabiles, si fortuna uertat, eadem mobilitate, quae secuti fuerint, deserturi sunt; atq; etiam oppugnaturi. Exemplo tibi sint innumerabiles aliorum euentus, quam parum stabili spes in uulgi fauore collocetur. Popularis ne nominis ciues ad te attracturum speras?

ras? an tot graues uiros, tam leui auramobiles putas; ut ad tuam uocem de tanta re consilium sint capturi? ac societatem tecum inituri sint ij, à quibus consilia separaris; ut tanquam pecudes ad tuum nutum circumagi uideantur? Documento sint, quid animi uiri graues, ac firma etate habituri sint, pauci isti adolescentes, armis tuis circūsepti: quorum et si nonnulli laetum assensum uultu praeferunt, pleriq; tamen maesto silentio, quādo nulla alia re audent, tuum istud factum hanc obscurē improbat. quin potius uerisimile est, illos (id quod in eiusn: odi rebus usitatum est) suspicatu roste libertatem, & popularē Remp. præxendo, cuius auctorem te ex nobilium corpore merito suspectum habebunt; dominationem tibi, & ipsis seruitum moliri. Dubitas igitur, quin hic metus, quamvis dissidentes inter se nobilium, & popularium animos sit coniuncturus? ac quin illi sociatis consiliis, arma aduersus cōmuni libertati insidiantem uersuri sint? Pergebat Pansa preces consiliis miscens, hominem à

prauo

prauo incæpto reuocare; cum Verrina, quem ad explorandum ciuitatis statim missum diximus; superuenit: seq; omnia loca adiisse, oīaq; diligentcr perlustrasse renuntiat: omnia tranquilla & quieta esse, & ip- forum conatibus opportuna: tum præterea triremem paratā, at q; omnia composita. nō igitur iam effectandum. Quare Fliscus, responso dato; in eum se locū progressum, ut nullus iam sit regreßus, aut poenitentiae locus; Pansam gemente, ac fati iniquitatē, hominumq; scelus accusantem, relinquit: ac, de omnium consilio, minera in hunc modum partitur. Triremis Praefecto imperat; ut cum triremi ad angustas interioris portus fauces, in quo triremes Auriæ erant, in hybernis, insidias proficiatur: Othobonum fratre mittit cum arinatis, ad portam Diui Thomæ occupandam; qua occupata, ad aedes Andreæ accedat (eae sunt propè a porta, extra urbē sitæ) ibiq; ipsum & Ioannē obtruncent: Cornelium, alterum fratrem, nonnullis armatis attributis, mittit, qui portam Diui Stephani occupet;

G

Tho-

## CONIVRATIO

Thomam Afferetum cum delecta iuuentutis manu mittit, qui cum celoce in interiorum portum penetreret; eoq; occupato, portam sibi patefaciat. ipse cum Verrina, & Hieronymo fratre, iuuenibusq; conuocatis, ac reliqua suorum manu (erant autem ad centumquinquaginta) terrestri itinere, ad eundem interiorem portum contendit: in quem, porta ab Affereto iam refracta, cum suis ingreditur. Operaepraetium est considerare, quam incerti, ac parum explorati sint coniurationum exitus: quam leuis causis, magnarum rerum momenta uertantur: quamq; paruae res, ingentes consiliorum apparatus, summoq; astu duotorum, sape euertant. Nam Fliscus ad praetoriam triremem accedens, tabulam, quae puppi superimecta, ac ripam attingens, usum pontis triremem adeuntibus praebebat, concendit: quae, cum per se minus stabilis, nullis retinaculis circumligata, tum triremis iactatione, quam remigum tumultus, ut intam improvisa re necessario excitatus, faciebat, uacillans,

ab

## F L I S C U S 26

ab altera parte collapsa, in mare decidit: omnesq; superstantes ruinam sua secum traxit. In quibus Fliscus, à nemine suorum, ut in obscura nocte, conspectus, gravitate armorum ad imum depresso, cum neq; ipse per se conniti posset: neq; à quoqua suorum casum hominis ignorantium, sublunaretur, periit. Ita pestis, quam in alios machinabatur Fliscus, in illū collata. Qui ad portas occupandas missi erant, rē facile, custodibus semi somnibus, partim obtrūcati, partim captis cōfecere. Clamor, & strepitus in interiore portu excitatus, ab Andrea & Ioanne, ex domo prope littus sita, in noctis silentio ex auditus, Ioannem exciuit. qui, ut quidnam esset cognosceret, inermis, cum duobus comitibus, ac uestitu domestico, domo prosiliit; atq; ad portum accurrens, cum ad portam urbis peruenisset, atq; ut illam aperirent, minaciter clamaret; Flisci, cognita noce, laeti fore patefaciunt; Ioannemq; ingredientē circūsistentes, compluribus hastilium iētibus confodiunt, ductaq; deinde tempo-

G 2 rum

## CONIVRATIO

rum ratione, pro certo compertum est, eodem temporis punto, quo Fliscus perit, Auriām interfectum. Ita daorūm iuuenium p̄aeferocia ingenia, ex quorum dis̄sidentib⁹ studiis, ac contentionib⁹ magnos motus, magnasq; turbas in futurum ciuitati imminere, nemini dubium esset; eodem horae momento fatum sustulit. Qui Ioannem confecerunt, ab Andrea petendo ad cogitationem admissi facinoris mente paulisper aduersa spatiū Andreae dedere; ut Ioannis casu audito, in equum a suis sublatus, cum ipse infirma valetudine, per se concendere non posset; fuga salutem peteret. At Iuuenes, qui erant in interiore portu, triremib⁹ in potestatem redactis, alius alium percunctantes, quidnam Flisco factum esset, qui nusquam appareret? eare perculsi, non tamen deserunt se; sed Othobono, à Ioannis cede reuerso, custode triremib⁹ relicto, ipsi Hieronymum secunducentes; ut fuerat compositum; tota urbe discurrentes, ciues ad arma concitare, ac populare imperium conclamare incipiunt.

Ad

## FELISCI

27

Ad quam uocem, cum pleriq; ex multitudine seſe hominibus adiungerent; nullus tamen fuit ex popularium optimatis, qui ſe commoueret: partim, quod à tumultuariis consiliis abhorrent; partim, quod Fliscum, hominem à populari cauſa, ſi minus simulata in praefentia uoluntate, natura certè diſſidentem; popularis ſtatus auctorem non probabant. Omnes uero, ad tantae rei societatem, consilio fecum non communicato, neq; diu ante concocto, ſubita uoce tanquam pecudes rapi, ſuae dignitatis eſſe non putabant. Interea Gometius Suarius Figue-roa, Caesaris orator, trepidō nuntio excitus, ac re ſubita perculsus, intermanendi, ē urbe excedendi consilia, incertus animi, fluctuabatur. Caeterum hominem retinuit Paulus Lazania. Is uir magna erat inter populares auctoritatis, ē gratiae; tenuiorumq; animos mira benevolentia comprehensos tenebat: ut maxima illorum pars ad eius natuſus confiueat: ſeq;

m

## CONIVRATIO

in omnia consilia cum illo consociatura. Is igitur, cū ceteri ciues improviso terrore obtorpuissent, unus se non deseruerat; sed ualida clientium manu corrogata, ita se comparauerat; ut ex Fliscorum euentibus consilia caperet. Cum igitur ad Figueroam uocatus uenisset; bono animo hominem esse iubet: sese n. firmo armatorum praesidio septurum; iniuiolatumq; seruatum; interea, quō Fliscorum motus euadant, totam noctem expectandum dicit. qui, si inanes fuerint; nihil porrò tentandum: sin res illis succedere, aliquaq; in illorū causam fieri inclinatio caperit; enim uero se cum Spinola familia, opibus ac numero praeponenti coniunctum, firmissimoq; iuuenum globo stipatum, tota urbe discursum: Adorniorumq; nomine subiecto, Barnabaq; Adornio, qui haud longe absit, interea accersito, ac Duce, ex ueteri more proclamato; haud dubie maiores ad se concursus facturum; maioremq; popularium ciuium, ac plebis partem, Adornio nomine attractam, se ad ipsum applicaturam;

## FLISCI

28

ram: quin & illos ipsoſ, qui Fliscos secuti fuerint; illis desertis, ad Adorniorum partes, quas intimis sensibus colant; cum reliquis transfituros. Qua oratione, & auctoritate LaZaniae confirmatus Figueroa, omni abeundi consilio plane abiecto, euentum expectare constituit. At Iuuenes, cum lux appropinquaret, neq; quēquam ex primoribus, affinibus, & cognatis suis secum trahere potuissent; multitudine quoq; spe frustrata, ab ipsis dilabi incipiente; Flisco, cuius ductu, & impulsu rem essent ingressi, & Verrina, qui rebus diffidens, in triremē se receperat, nusquam apparentibus; animis debilitati, consilium sibi quisq; capere caeperunt: atq; alij in priuatas domos, alij in eādem triremē sese recipiunt; Hieronymo cum extenuata hominum manus relicto: qui inops consilijs, urbe discurrens cum suis, intermortuas uoces iactabat. Interea summus Magistratus, qui tumultus initio, nullo satis firmo praesidio contrariantum motum munitus, tanto circūfuso panore obtorpuerat; cum nonnulli ex opti-

## CONIVRATIO

optimatibus in aedes publicas subinde conuenire coepissent; animos colligere cooperat, ac leniter potius rem ducere, quam aperata ui agere, tutius ratus; quatuor ex principibus ad Hieronymum, ad res compo-nendas, mittit. quos ille obuios factos consumacire responso, ut erat stolidè ferox, à se dimittit. Sed paulò post, desperatis tandem rebus, ad portam Diui Stephani cum paucis reliquiis, à Thoma Affereto nunquam desertus, sese recipit. Ibi de conditionibus cum Magistratu agi caeptum: Nicolaog, Auria affine, internuntio, ulstro citroq, concursante, res ita conuenit. Discederent Flisci ab armis: urbe exce-derent: ciuitatem tumultu liberam relinquerent: id si fecissent: Magistratum illis, & consortibus culpam condonare. Quo decreto per scribam recitato, urbe exce-dunt; atq, in arcem Montobium, quae ab urbe decem circiter milium passuum di-stat inter uallos, cum suis concedunt. Ita magni Fliscorum motus, eodem die exci-tati, & compressi sunt. Urbe tumultu li-bera-

## F L I S C I . 29

berata, Magistratus quidfacto opus sit, de-liberat. Cumq, iuris consulti respondissent: non impediri Magistratū decreto & fide, non tam uoluntate data, quam necessitate expressa; quominus sibi in Fliscos, & so-cios animaduertere liceat; cum aliquan-diu sententiis uariatum esset; tandem tantaे impunitatis exemplum magnam similia admittendi illecebram esse censem-tes, ad severitatem uersi, bona Fliscorum publicant: aedes ad diuae Inuiolatae, amplas, & praeclaras complanant: ip-sos, & Verrinam, autores & capita seditionis, perduellionis damnant: reli-quos consiliorum participes nominatim, quinquaginta annorum exilio multant. exercitusq, ad arcem Montobium oppugna-dum misso, duce Augustino Spinola, addi-tis Dominico Franco, & Dominico Au-ria procuratoribus; cōplurium dierum op-pugnatione, Hieronymum ad ditionem subigunt: capitis, ac rerum suarum sum-mo Magistratu libera potestate permissa. Que res magnas Genuae praebuit con-tentio-

H tentio-

tentiones; magnosq; animorum motus excitauit. Ac res ingentibus uerborum, & sententiarum certaminibus, cōplures dies extracta est; cum non paucorum studia pro Fliscis quoq; exarsissent. Ii mitioris sententiae auctores esse; neq; ad extremum sauiendum dicere. satis poenarum Fliscos dedisse, omnibus bonis, ac per amplis & optimis ditionibus euersos; aedibus & arce Montobio complanata. Ac si quis rem uerè existimare uelit; quid tandem Hieronymum & Othobonum cōmeritos, ut iis tam implacabiliter succenseatur? Miseros adolescentes, omnium verum ignaros, ne consiliij quidem participes factos, improuiso deplensos, nullo ad cogitandum temporis spatio dato, ad lanienam à uolento fratre raptos: ad illius nutus miserorum inscitiam circumactam. Igitur habuisse meritam poenam noxiū caput: ipsos extranoxam existimandos. Neq; se ea re, quam in primis iactari audiant magno perè moueri, posteritatis exemplo; ut reliqui uidelicet atrocitate supplicij à talibus

cogi-

cogitandis deterreantur. Nam & nostra, & omnium seculorum memoria, maleficia semper acerbissimè punita; quotidieq; in omnibus urbibus latrones, sicarios, fures, ac reliquos maleficos homines capitali supplicio affici; quorum tamen suppliciorum exemplo, aut metu, homines ab iisdem facinoribus admittendis haud quaquam deterreri. Quod in maiestatis criminē eō minus sperandum; quò praeiorum amplitudo acrioribus stimulis homines ad illud impellit. Ac ne illud quidem perpetuum esse; ut in maiestatis & perduellionis criminē nullus sit misericordiae locus. Id.n. ut innumerabilia alia exēpla omittantur, refelli Caroli Quinti Caesaris, sapientissimi Principis exemplo & auctoritate: qui Saxonē bello uictum, & in acie captum, morte multandum non duxerit; satisq; habuerit hominem imperiali edicto, & exilio maiestatis damnatum, quiq; totam Germaniam in Caesarem, dominum suum excitatuit; iure suffragij in Caesare creando, & ditionibus auitis multare contra alij mi-

H 2 rari

## CONIVRATIO

rari se uehementer dicere; unde hic mos nunc primum inducatur, voluntates non facta exquirēdi. Quod si suscipiatur, nullū iam fore legum aut indiciorum usum: quòd nemo tam hebes ingenio futurus sit, qui ne- sciat facta à uoluntate sciungere; & se, aut errore, aut in scita lapsum, aut extrema ne- cessitate ad actum proponere; aut infinitis aliis calumniis facinus tegere. Quia uolun- tate Flisci usi sint; neq; se, nec quenquam om- nino mortalium diuinare: prauam fuisse, quae secuta sunt facta indicare. ea spectan- da, ac suis momentis ponderanda. Qui post Ioannis caedem, fratre etiam mortuo, à quo adacti excusentur, incaepa non omi- serint; sed portas, triremes, ac reliqua occu- pata retinuerint; totaq; urbe discurren- tes, plebem ad arma vocarint; & in magi- stratum incitarint; sibiq; tanquam domi- nis, & dibus publicis à magistratu cedi po- stularint. Auertisse Deum immortalem nefaria consilia; ac magistratui punienda reliquise. Quām uero comparesse Saxonis, & Fliscorum factum? Illum magnitudine ani-

## F L I S C I 31

animi inductum, nullum scelus concepisse; nō de cæde Principum, aut de ullo maleficio cogitasse; sed conspirationi maxima Germaniae partis, in libertate illius prouincia de- fendēda, quam à Casare imminui præfer- rent; ac ne ad detestatā ipsis religionem su- scipienda cogerentur; ducem se non subtra- xiisse. Diuino numini cordi fuisse, ut inde ui- ctoria esset, unde ius stabat. Non igitur Ca- sarem tam ipsum saxonem spectasse, in illo incolumi seruando, quam totius Germanie consensum. haud dubiū, qnisi in illum ani- maduertisset; omniū tam ciuitatum, quam Principum eius prouinciae odis sibi esset ir- ritatus. Fliscos uero, quātandē iniuriā, quemue metū tam atrocifacinori pretexe- re? illi ne impune ferant, ut regni invaden- di, patriaeq; libertatis opprimenda causa, omnes bonos ad caedem destinarint? tum uero maius propè flagitium factum iri à magistratu, in tantis parricidiis impuni- tis relinquendis; quam ab ipsis Fliscis in illis suscipiendis factum sit. Vicit tandem melior, & frequentior pars: Andrea adni- tente

## CONIVRATIO

tente; ac grauiſſimas iniurias pio iustoq;  
bello perſequente. decretumq; est, de Hie-  
ronymo & confortibus capitale supplicium  
ſumendum. Ex eo decreto, in ipſa arce Hie-  
ronymus, & Verrina ſecuri percuſſi: reli-  
qui inferioris fortis ſuſpendio necati: ipſaq;  
arx, quae turbulentorum hominum  
receptaculum ſaepè fuſſet,  
ac quieti ciuitatis  
immineret; ſolo  
equata.

¶

T. V M V L T V S  
NEAPOLITANI.



*ENVENSES motus, felici celeritate oppressos, Neapolitani tumultus exceperūt. quorum initia uerborum contentionibus, & iuregiis iactata; ad perniciosa; mox seditionem, postremo etiam ad ferrum, ac sanguinem, atrociasq; pralia exarserunt. Conflati autem sunt, partim Neapolitani populi contumaci temeritate; nonnullorum hominum res miscere, ac nouare cupientium astu incitata; partim Petri Toleti pertinacia, ac nimia dominandi cupiditate. Is erat in regno Neapolitano Vicarius Cesaris; maxima; parti Neapolitanae plebis mirè gratus; caeterum Nobilitati hostiliter inuisus: quippe cuius libido, qua ante a paulo solutior fuisset,*

set; à Petro effet cohibita. Nimia enim superiorum & cariorum lenitate Nobiles, ac potentiores atuti soliti; legumq; & indicorum metu penè soluti; omnia aequabilitatis iura perfregerant; indomitasq; cupiditates suas in tenues & humiles homines exercebant: eosq; omnibus iniquitatibus uexabant. Hanc tantam; tamq; effrenatam omnium rerum licentiam compresserat Petrus: sine ille miserorum iniuriis permotus; iustitiaeq; studio adductus; sine ob conceptum in Nobilitatem odium, à qua se grauiter laesum putabat. Nam cum Petrus, initio magistratus, apud Nobilitatem multis de causis grauiter offendisset; eiusq; severitas nimia uidetur; neq; illum Nobiles apud Cesarem criminari unquam destitissent; multisq; non minibus inuidiam homini conflare studuisse; eaq; de causa Caesar Petrum Patetum Pontificem Geennensem ad res cognoscendas, cum amplissima potestate, Neapolim misisset; illeq; multa emendasset; ac magistratum arbitria certis legibus cohibuisset;

set; ad extreum cum Caesar bello Africano confecto, Neapolim uenisset; duo ex principibus Nobilitatis, Ferdinandus Sanseverinus, Princeps Salernitanus, & Alfonsus Daualus, Marchio Vastij, adhibito Andrea Auria, summo maritimorum rerum Praefecto magna parte Nobilitatis adnitente ac studiis consociatis; summa contentione cum Caesare egerant; ut Petrum è prouincia reuocaret; neue ullo modo Neapoli dimitteret: Virum, quem omnibus bonis offensum, cuiq; omnia uenalia esse diceret; turn aut dissolutum, & ignauū: qui regnum floretissimum in pace effet euer surus; in bello amissurus. Caterum perpetuam constantiam retinuit Caesar; ne uirū quem semel extulisset, sine grauissima causa euerteret. Quibus iniuriis irritatus Petrus, vir ingenio uehemens, & impotens; in Nobilitatem omnem iram, omneq; imperij sui uim effuderat: ea iudiciis severis faciendis, delictisq; acriter puniendis assidue exercere: nullus, ne in minimis quidem erratis esse ignoscendi locus: quodq; in primis

Nobiliū animos ulnerabat; leuissima quaq;  
de causa, Proceres , ac summae nobilita-  
tis uiri, luce , ac palam in medio foro cō-  
prehendi, Et in carcerem duci : ibi tanquā  
nocturni fures, atq; infimae fortis homines,  
sine ullo dignitatis discrimine adseruari.  
Qua res , ut Nobilitatem ad execrabi-  
le odium Petri efferauerant ; ita magnam  
homini apud plebem, Et tenuiores gratiam  
conciliabant . qui, cùm ob summum illius  
beneficium , à quo sese ex maximis miseriis  
extractos praeferebant ; tūm ob natura  
instum plebi in nobiles odium, Petrum in-  
iuriarum suarum vindicem , in oculis fe-  
rebant : uulgoq; laetabantur ; quibus ipsi à  
Nobilitate premi soliti eſſet acerbitatibus,  
eas omnes à ſe depulſas , in eandem ipfam  
nobilitatem uertiffe . Is ſtatus rerum, iſq;  
habitus animorum Neapoli cum eſſet; Ro-  
mani Inquisitores (in quibus erat Ioannes  
Cardinalis Compostellanus , Petri frater)  
cum rumor in dies percrebiceret , re-  
gnum Neapolitanum novis hæresibus ten-  
tari; eamq; luem in dies gliscere; duos Do-  
minica-

minicanos monachos, Inquisitores in urbe  
Et regno Neapolitano creant . Ii cum ad  
Petrum accessiffent; ostendoq; diplomatæ,  
regium affenſum de more postulaffent; quo  
mandatam iurisdictionem exercere poſ-  
ſent; Petrus, multa praefatus de ſua, ac Ca-  
ſaris regis ſui pietate , ſummoq; religio-  
niſtudio; cuius cauſat tantam molem bellī  
in Germania uſcipere non dubitasset ; re-  
ſpondit; cupere ſe quidem haereses de Re-  
gno exterminari; caeterū rem quam pe-  
tant , magnae, ac diuitiae deliberationis  
eſſe: neq; temerè mouendam. Abominādum  
enim Neapolitanis eſſe inquisitionis nomē ;  
cuius mentio haud dubiè magnos fit tu-  
multus excitatura: proinde non ita prope-  
randum . Diploma igitur ſecum haberent;  
ac rem silentio tegerent ; bonoq; animo eſ-  
ſent: ſeſe enim eam curam ſucepturum: ali  
quamq; rationem initurum rei ſine offen-  
ſione expedienda: fidemq; , Et obſervantia  
ſuam sanctae Pontificiae ſedi, ut omnibus  
in rebus ſemper fecerit; in hac quoq; pro-  
baturum . Et ſecundum eam reſpoſionem,  
Petrum

Petrum anceps cura in diuersum trahere. Hinc cupiditas, illinc timor animum uersare. Cupere, ab insito sibi, ac Casari, & uero nationi Hispanorum religionis studio, Inquisitionem instituere; rem necessarium hominibus à prauarum opinionum contagione integris, ac puris seruādis: tūm praeterea ueteri Ecclesiae disciplinae, sacrisq; institutis tuendis. Quanquam non nulli (uana fortasse interpretatione) illam quoq; addebant causam, uiro imperij nimio Inquisitionem cordi esse; qua suā opes, ac potentiam mirè effet amplificatura; cuiusq; metus Neapolitanis subinde injectus, eos magis obnoxios pedibus suis effet subiectus. Contrà, rei magnitudine deterreri. Intelligere enim, quanto odio, & execratio ni summis infimisq; effet Inquisitionis nomen: uereriq; ne eam contentionis molem excitaret; cui par esse non posset. cum presertim in uulgi benevolentia hanc multum sanè poneret: quod sciret omni leui aura mobile. Contrà, haud dubitaret, quin Nobilitas hostili odio sibi infensa; ex retam popula-

pulari occasionem effet arreptura iniuriarum suarum ulciscendarum. ad quam si se plebs applicuisset (ut praesens offensio maiore uim habet ad animos hominum irritandos, quam praeterita beneficia ad eosdem in amore retinēdos) uictusq; propterea succubuisse: iam nunc animo prouidere, ad quam intolerabilem arrogantiam ea res Neapolitanorum animos effet inflatura. quippe qui experti conspiratione sua Toleatum inferiore; nimios spiritus essent sumpturi: contumacesq; facti, infinitum illud imperium, quo tot annos homines deuinetos, ac subiunctos habuerit: perfracturi. sic fore, ut auctoritatē diu, ac paulatim collectā, uno tempore universam profundat; formidolosumq; illud Petri antea nomen, brevi contemptu fit. Cum in his difficultatibus consilium haberet; multosq; dies, incertus animi, fluctuatus, exitum nō reperiret; tādem consilio in oēs partes canto rē expedituit. Cōmodissimū uisum est, per cliētes & beneficarios suos, quorum, ex plebeiorū presertim primoribus, haud exiguum numerū habebat,

Ne-

## TVMVLTVS

Neapolitanorum animos sensim, occulteque disseminatis sermonibus tentare; remque ea lenitate, eoque astu ducere; ut ipse nomine suo minimè interposito, Neapolitanos inter se committeret; ac spectator tantum, quorum excitati motus euaderent; ex illis in die consilium caperet. Ac si in suam causam fieri inclinationem uideret, tum uero uoluntatem nudaret; omnibusque suis, ac magistratus uiribus connixus, rem inclinatam impelleret. quod si obstinati in resistendo, ac quiduis potius perpeti parati Neapolitanorum animi perstitissent; inexuperabilibus uim haud quaquam afferre: sed cum se medium in certaminibus gerere simulasset; neque, sic circò uictus uideri posset, nulla dignitatis facta iactura, desistere. Quod sapiens consilium si perseveranter ad finem tueri potuisset; profectò omnis tumultuum ac seditionum causa sublata esset. Igitur sermones de inquisitione per emissarios sensim sunt injecti: qui cum breui in immensum percrebuerint; magnos animorum motus, mox etiam tumultus excitarunt.

Res

## NEAPOLITANI 37

Res n. statim caetibus, & contentionibus agitari caepta est. Eam uulgò pro se quisque aspernari; ac tanquam ciuitatis pestē exercitari. Humani enim ingenij uitio fit, ut anticipationes inueteratae, multitudini praeferunt, apud quam plurimum ualent; eripi uix possint. quæ res tum Neapolitanis usitate ueniebat. Nam, cum forte per ea temporalia sub ditionē Ferdinādi Hispaniarū Regis uenissent; cū ille Inquisitionē in Hispania in Hebreos & Mauros instituisse; multaque severitatis exempla in homines pertinaces edi necesse esset; aliique exilio, alii bonis, alii etiā morte multarentur; Neapolitani, haud reputates in quam diuersum hominū genus ea expromerentur; metu, ne eadem acerbitates, si Inquisitionem accepissent, sibi essent subeundæ; inquisitionis nomen exerantes, omni ui restiterunt: ut Ferdinandus rem summa cōtentione tentatam teneare non potuerit. Quin etiam Inquisitores Neapolim missos, male acceptos, ac multatos eiecerunt. Nulla igitur ratio opinionem animo penitus comprehensam euellere

K pote-

poterat: sed tēpora Ferdinādi memoria repetentes Neapolitani, uiri cateroquī pīj, ac religionis, diuiniq; cultus in primis obseruantes, Inquisitionem, rem sanctam, ac salubrem, sacrifq; institutis, ac sincerae dētrinae tuendae apprimē necessariam horrere; ac tanquam ciuitati exitiosam detestari: neq; contraria, quamvis salubria suadentium orationem auribus admittere: sed sese ad resistendum mutuō hortari, atq; confirmare: prater paucos, Ex nobilitate, Ex plebe, partim apertos, partim obscuros Inquisitionis fautores. Ii omnes cum Petro amicitia, familiaritate, beneficiis ferē coniuncti, cum sese adeius voluntates semper aggregassent; Petri cupiditatem studiis suis satis declarare putabantur. Neq; aberat suspicio, eorum in primis hortatu in eam mentem Petrum impulsū; cum magnum ex ea re prouentum, magnamq; immanis pecuniae conficienda facultatem homini ostentassent: suae etiā ipsi privati quaestus spei sermientes. Eorum noces nemo auribus admittere: qui etiam homi-

homines ipso, ueluti patriae hostes, communisq; libertatis proditores, omnes auersari; ac contumeliis Et probris lacerare. Igitur, cum in dies sermones, Et tumultus augerentur, res à populari iactatione ad publicum ciuitatis consilium traducta est. Ii sunt ex Nobilitate quinque uiri, singuli ex singulis curiis, in quas omnis Nobilitas distributa est; Et unus de plebe. Hi sex unum in locum congregati, de rebus ciuitatis consulere, Et statuere solent: ac si quagrasior deliberatio incidit; Nobiles singuli ad singulas curias suas, plebeius item ad plebem referre: frequentiorq; curiarum Et plebis sententia, paribus singularum curiarum, ac plebis suffragiorum momentis, pro ciuitatis decreto habetur. Igitur, cum Nobilitatis, ac plebis quotidie consilia haberentur; res in dissensionem uenerat: omnibus ferē, omnisiq; generis hominibus Inquisitionem repudiantibus; per paucis tantum, quos diximus, accipientibus.

Qui motus, ac dissidiorum causae ut tollerentur; Magistratus Petrum adit, ac ci-

titatis statum homini demonstrat; quam  
solicitam suspicione, atq; eius rei, qua nulla  
Neapolitanis sit acerbior, metu suspensam,  
nō prius quieturā dicunt; quam Inquisitio-  
nis mentio planè fuerit oppressa. Id ut fa-  
ciat, uehementer rogant. Cum id aſiduè  
facerent, Petrumq; saepè adirent; P etrus  
aduersus tantam ciuitatis uolūtatem pro-  
positi retinens, hilari uultu, ac blandis uer-  
bis homines accipiebat: eos bono animo eſſe  
iubere: uariisq;, ac perplexis responsis a ſe  
dimittere. nam modo apertè negare, ſibi  
unquam in animo fuisse Inquisitionem in-  
ducere; quin etiam ſe ſe Caſari ipſi, ſi ad  
eam rem animum adieciſſet, acriter reſti-  
tum; modo affirmare, ſe ſe compertum ha-  
bere, non paucos eſſe Neapolis; quorum no-  
mina apud ſe ſubscripta habeat: qui noua-  
rum opinionum erroribus depravati, a per-  
petuis Ecclesiae institutis deflexerint. Ho-  
rum puniendorum, atq; huius contagionis  
de ciuitate tollendae aliquam omnino eſſe  
ineundam rationem. Non tam uaria Pe-  
tri responſa, quam eorum, qui ſe de nobis  
lita-

titate, ſe de plebe, partim occultis, partim  
apertis ſtudiis Inquisitionis rebus faue-  
bant, Petri uoluntatem declarabant. Eo-  
rum oratio, quod omnes ferè familiaritatis,  
ac munerum, ſe beneficiorum acceptorum  
neceſſitudine Petrum attingerent, de ipsius  
ore mitti uidebatur. Noua uero hæresis cō-  
pescendā uiam quaerere, cum omnia uete-  
ribus Ecclesia institutis diligenter prouifa-  
dicerent; ad eam interpretationem reuoca-  
batur; ut inquisitionem, quam apertè ſe  
consequi poſſe non ſperaret, artificio expu-  
gnaret. Cumq; quodā die, in plebis cōcione  
certatum ſentētis eſſet; Dominicūq; Tar-  
racinum, qui i ſex uirali magistratu locum  
plebis tenebat (quāuis rē uerbi diſsimulare  
niteretur) Inquisitionis auctore eſſe, ac Pe-  
tri uolūtati ſeruire manifestè appareret; Pe-  
trus Antonius Saponius, ex principibus ple-  
bis, haud cōtēnendis regni honoribus uſus,  
qui ſe ipſe inquisitiōi fauebat; ita diſſeruit.  
Neq; nouum hoc facitis Neapolitani; neq;  
principes uos aduersus benemeritos ingra-  
ti exiſtitis. Fecerunt hoc idē alijs ſe populi.

Cate-

Caterum in illis aut magnorum commodorum spes , aut ingentium detrimentorum metus , aut postremo noua aliqua iniuria prateritorum beneficiorum memoriam extinxit: uos uero qua rāde eiusmodi, aliae uella de causa Petrum nunc oppugnatis? Equidem nullam aliam inuenio ; nisi ut iis ipsis inimicis uestris gratificemini ; à quorum acerbissimi iniuriis uos ille saepe defendit . Agite igitur primum hoc uos, perfidiaene, an summae dicam stultitiae , exemplum posteris prodite . Atq; ego inimicos uestros usq; adeo felices esse doleo ; quibus facultas data sit non modo Petrum ulciscendi ; sed etiam per uos ulciscendi . Crimen illi iam diu Petro apud Caesarem quaerunt : en ex seditione uestra tandem reperient . Eius causam, si Diis placet, Petro assignabunt : perinde quasi non ipsi, uobis adiuuantibus, illam cōflarint . Hostile igitur odium, quod ideo in hominem gerunt, quòd uobis benignè fecerit , uosq; ex ipsorum faucibus eripuerit ; iisdem uobis socijs, & administris, per summum uestrum dedecus , atq; adeo scelus

scelus, in illum expriment . Ubi sunt uestra illa ardentiastudia ? Ubi uocum, & acclamacionum significaciones , cum Petrum Neapolitanae plebis parentem appellabantis ? cum uota pro illius salute faciebatis ? Ubi contrà, execrabile odium, quo Nobilitatem detestari soliti estis ? neq; id iniuria; tot saepe ab illa iniquitatibus uexati . Tam citò haec omnia exciderunt ? tam parum stabili gratia beneficia apud uos collocantur ? tam leuiter uestra fundata est fides ? Unde ista subita tanta animorum mutatio ? Quæ res uos de pristina mente uestra depulit ? Quam causam tanto furori praetexetis ? Aliquam ne exiis, quas modo commemoravi, aut cōmodorum spei, aut incōmodorum metus ? nam iniuriam quidem uobis à Petro factā, ne ipsi quidē eius inimici ullam possunt comminisci . Duo illa quaeso sigillatim quaeramus : quanquam nulla spes, nulla formido homines debet de officio, ac fide deducere . Sed tamen, quia multi saepe idem fecerunt ; quia his moribus iam usitatum peccatum est ; de utraq; re

re separati uideamus. Ac spem quidem quam tandem consecutamini? Illud fortasse spectatis, ut Petro infectando, infensam Nobilitatem uobis conciliatis? Ita credo. An nondum, cum ex ijs rebus, quas ipsi experti estis, tum ex omnium seculorum memoria satis didicistis; Nobilitatem & plebem inexpiabili odio inter se dissidere? neq; id temere. nimis enim elatos spiritus vanum hoc Nobilitatis nomen solet afferre; nimisq; homines inflare. Itaq; plebem & tenuiores homines nusquam alio, quam ad seruendum natos existimant: quos ita despetui habent, ut hominum forma & effigie illos uti propè indignentur; nedum ullo in pretio aut honore habendos censeant. Furor est, ita affectos animos putare ullis aut officiis mitigari, aut beneficiis demereri. Euertite uero Petrum Neapolitani: experiemini, utrum hoc beneficio uestro gratiam à Nobilitate inieritis; an praesidio illo sublato, quo uno aduersus illam adhuc communiti fuitis; uiam ad uos opprimendos expediueritis. Quid? quod Petrum non modo à nobis, alie-

alienamus, nosq; illius ope nudamus; sed etiam ad societatem nos euertendi, cum ini micis nostris ineundam, inuitum attrahimus. An ille tanti animi uir, tantam productionem inultam feret? Cumq; nostri misericordia, nullo à nobis beneficio affectus, cum illis tantas inimicitias suscepit; nostri nunc odio, tanta a nobis lacefitus iniuria, nō cum illis amicitiam coniungeret? Quod si in inimicos nostros tam severus, ac uehementis fuit, nostra tantummodo causa; qui tandem in nos futurus est, suis metu stimulis, qui longè aciores sunt, incitatus? Iam uero praeclarum documentum nos complectendi, atq; offensionem nobilitatis negligendi, successoribus Petri constitui mus; cum uiderint illum tam effusae in nos benevolentiae, tantorumq; beneficio rum eiusmodi fructum cepisse. Utilitatem huius consilij uidetis Neapolitani. Quin illud igitur celeriter arripimus? nosq; in illud, perpetuis inimicis nostris auctoribus, praecepites datus? neq; prae hac utilitate quoniam ita magna est, ullam aut

L officij

officij aut fidei rationem ducimus : At n. missam facimus utilitatem. Ingentis mali imminens periculum nos terret . Quod tandem ? Inquisitio nimirum nobis ad timore proponitur. Hic Neapolitani nō iam aut inscitiam uestram reprehendo, aut aduersariorum uestrorum calliditatem accuso; sed fati iniquitatem conqueror. Non inquam, aut uos naturali quadam inscita libi uerisimile est ; neq; tanta mentis caecitas in ullo omnino mortalium esse potest ; neq; tantum est in inimicis uestris ingenii, ut uos intam euidenti re circumuenire posint: fatum uos precipites rapit: fatum inquam, metem uobis planè eripuit: quod metes hominum cacare, ubi ingruentem uim suam infringi non uult; uere à sapienti uiro scriptum est. Nam, per Deum immortalē, unde ista suspicio ita penitus mentibus uestris infedit ? En adest Petrus, qui Inquisitionē se unquam constituturum, aut id in animo habere negat : fidemq; suam dat, ac clarissimi uerbis testatur; etiam Cesaris imperio se in re, quam tantoperè ciuitatem

tem hāc auersari uideat, restiturum. Quæ malum, tanta est ista mentis caecitas, ut maiorem fidem hostibus uestris habeatis, qui capitali odio à uobis dissident; quam ipsi parenti uestro Petro, cuius omnes curæ semper fuerunt in omnia uestra commoda uersae ? quiq; tanta benevolentia uos, ac salutem uestram semper est complexus ; ut pro ea Nobilitatis inexpiable odium sibi irritare non dubitarit ? falsam ne opinione ita penitus animis comprehendistis ; ut ea ratio, atq; ipsa euidentis ueritas extorque-re non possit? quin etiam ego, ac meisimiles, inuidia apud uos ea de causa laboremus ; quod aliquem locum gratia apud Petrum obtainere existimemur? quaeq; res nos acceptiores uobis facere deberet, ea inuisos facit; perinde quasi consilia cum illo de Inquisitione sociasse arguamur. Ego uero clarissima uoce pronuntio, me neq; Inquisitionis accipiendae uobis auctorem esse; neq; in eare, quā tantoperè uos abominari uideā, consilia ē sensum meum à totius ciuitatis consensu posse separare. Assentior equidem

Petro ea in re, quam neq; uos, neq; quenquā  
pium recusaturum puto; aliquam ratio-  
nem ineundam serpentium haeresum ex  
hoc regno extirpandarum. Ac quanquam  
ego nihilo minus, quam caeteri, Inquisitio-  
nem repudio; tarnen nō uerebor qua cogita-  
tio sapè animum uersauit, uobis exponere:  
quod in bonam partem accipiatis, rogo. Si  
quis peregrinus, nobisq; amicus huic con-  
cionii intersit; atq; ita nos uniuersos roget.  
Agite Neapolitani, quid est quid In-  
quisitionem tantoperè expauseatis? quae  
tandem regna, aut urbes ab illa enuersas  
unquam auditis? utrum tandem Christianorum  
instituto uiuere, ac gliscentem  
hanc pestem cohibere non placet; an est ul-  
la praeterea satis certa, Et explorata ad  
eam rem, quam Inquisitionis uia? Et utru  
nos Venetiis, libera, ac sapientissimā ciuitate,  
Romaq; ipsa, religionisq; imperij ar-  
ce, ac capite, caeterisq; ciuitatibusq; re-  
gnis, quae tota ferè Europa Inquisitionem  
accepérunt, sapientiores estis; an dignita-  
te eximiū esse postulatis? Quid amabo, haec  
amanter

amanter monenti respondeamus Neapo-  
litani? Sapientia ne an dignitate nos cae-  
teris nationibus praestare? At cauete, ne  
arroganti responso sermones, qui de nobis  
apud multos percrebuerunt; paulò tumi-  
diora, Et inaniora esse Neapolitanorum  
ingenia; confirmemus Et augeamus. maio-  
res ne nostros acriter Inquisitioni semper  
restitisse? At ille euestigio occurrat; res hu-  
manastēporibus in primis regi: quodq; ma-  
iores nostri fecerunt, tēpora illa tulisse: nunc  
nobis ad præsentia tēpora cōsilia accommodā-  
da: nōdum patrum nostrorum st̄ate exortas  
fuisse has haereses, qua nunc seculum tenet:  
quid igitur mirū, si unde nullum tum peri-  
culū metuebatur; eius rei remedium suspe-  
ctum patribus nostris fuit? Quod si ille ip-  
se porrò rogare pergaat. Quid si Petrus i ani-  
mo habeat Inquisitionē Neapolio nō cōsti-  
tuere? Idq; Cæsare auctore moliatur? (neq; n.  
illum tantārē, Cæsar is iniussu, de suo capi-  
te moturū uerisimile est) Petro ne, ac Cæsari  
ipſi in contentione uos pares putatis fore?  
Quē igitur aliū fructū extāto certamine,  
quod

quod animis imbibitis, uos percepturos speratis; quām ut Inquisitionem, quam nunc cum bona Regis uestrī gratia accipere potestis; inuiti tandem, illiusq; odio uobis irritato, accipere cogamini. Si ita inquam, admoneamini; an nō digna hac uideantur, quae mentes uestras ab ardore isto ad uestra sedatis mentibus cogitanda conuertat? Verūm nihil horum est; neq; Petrus quicquam, nisi de cōmodis uestris cogitat; neq; consentienti uoluntati uestrae aduersaturas est unquam; si modestē ē le niter, ut aduersus summum imperium decet, cum illo agatis: quōd si contumacia uestra illum temere pergitis uobis irritares caue te, ne uirum acrem, et uehementē, cum uestro malo ad ea qua non cogitat, inuitum attrahatis. lenitatem hominis, ē mansuetudinem saepè experti estis: uidete, ne iracundiae, ē seueritatis uobis sit periculum faciendum. Extremum illud faciam Neapolitani: quamuis dolus istorum, qui uos tam leuibus de causis in fraudem inducere conantur, non manifestō teneretur; nonta-

men

men uos animis labare oporteret; sed ad eius potius auctoritatem, in cuius benevolentia firmissimum praesidium uobis semper experti estis, uoluntatem conformare; quām eorum, qui uos semper hostiliter uexarunt, uerbis fidem adiungere: illud uobiscum reputantes; nihil esse tam stultum, quām eorum sequi consilium; quos naturale, ac penitus infitum odium in consilio dando uestram potius perniciē, quām utilitatem cogat spectare. Oratio contra tantam in contrariam partem uoluntatum inclinationem, nullo assensu audita est: acriter maiore parte principum plebis resistente; atq; omnibus undiq; reclamantibus. In quibus Ioannes Suessanus, uir acer ē experiens, ē in causa usq; ad extreum acriter uersatus, de superiore loco ita populum allocutus fertur. Perturbauit me Neapolitani, oratio Saponi. nam de Inquisitione, cuius causa conuenimus; tantummodo nos uerba facturos putabam: de qua ut sententiam dicerem paratus ueneram. Verūm Saponus, cause fortasse diffisus, quod ueri-

## TVMULTVS

ueritate, & ratione desperat; id artificio assequi nititur. Causam enim Inquisitionis, in qua non satis firmè se consistere posse intelligit; leviter & diffidenter, ac per peregrini personam attigit; in meritis uero Petri extollendis, ingratiaq; animi culpa nobis exprobranda, multus sane fuit: ut uidelicet, nobis uerecundiam imponeret, hominis de nobis optime meriti ledendi; cuius etiam rei nefariam nos societatem cum communibus inimicis coiisse arguit; moramq; studiis nostris, quae ardentia hic attulimus, iniiceret. Quo callidius isti nobiscum agunt; eo diligentius nobis ab illis est caendum. Atq; ego paulò ante Saponi sapientiam mirabar; qui cum à Petri uoluntate offendenda, ab homineq;, ut ipse dicebat, oppugnando tam multis nos uerbis deterret; planum non fecerit, in quo Inquisitione repudianda, Petrum aut offendamus, aut oppugnemus? Id si fecisses Sapone, an cipitem nobis deliberationem praebuisses; utrum, ne ingratii Petrum exteremus, Inquisitionem acciperemus; an ueniam

## NEAPOLITANI 45

ueniam nobis daret Petrus, si in re, à qua hunc populum tantopere cernimus abhorre, explodenda; nostrae potius, ac liberorum nostrorum saluti, quam illius cupiditati obsequi maluissemus. Nunc tu nullam satis dignam causam attulisti. Nā eam quidem quā attigisti; crimen ex seditione nostra Petro cōflatum iri; ipse tu alia parte orationis tua imprudēs diluisti: cum Caesaris iniussu, tantārem Petrum haud quaquam ausurum fuisse, palam affirmasti. Quod igitur crimen, quae inuidia aduersus Petrum constitui potest in motibus, ac tumultibus, si quos forte eares excitarit; quam ille Caesaris iussu tentet? Quintu igitur istas ambages, istaq; à te de Petro evertendo, ex tempore confictam fabulam omittis? Nihil n. ista nos mouet. Ut ne illa quidem, quae in amplificando odio, quod inter plebem, & Nobilitatem uiget; plurima protulisti. Evidem scio nonnullas esse solere inter plebem, & Nobilitatem uoluntatum dissimilitudines; nonnullas quoq; inter se dissentendi causas, saepè

M inci-

incidere. Ceterum, non usq; adeo execrabi, ac perpetuo odio ista exercetur; ut non se penumero commune bonum in iisdem rebus ascensio, & repellendis illorum uoluntates coniungat. Neq; nos ad Inquisitio- nem detestandam, Nobilitatis auctoritate adducimur; sed studiis ipsi nostris duci- mur. cuius rei, uel ea sit fides; quod simul atq; mentio Inquisitionis in hac urbe facta est; omnes nos, pro suo quisq; animi sensu, ac dolore, ad eam recusandam, à nemine instigati, studiis nostris exarsimus. Ni- hile est igitur, quod nos istis praestigiis ue- stris, Petriq; nomine opponendo, aut no- stro in Nobilitatem odio inflammando, de stabili nostra, certaq; sententia conemi ni deiicere. Quare ad ea, quae propiora huins deliberationis sunt, tandem ueniamus. In qua re, pace tua dixerim, perri- diculè facere mihi uisus es Sapone, qui, ut deliberationē de tanta retardares; te esse Inquisitionis auctore, aut illā suadere ne- gasti. quasi uero deliberatio nostra à tua sen- tentia pendeat. Non nos Sapone, quid tu

cen-

censeas; aut uelis curandum ducimus; sed ea nosterrent; quae tam ingentibus initiis moueri uidemus; sermones inquam, qui maius in dies robur sumunt: ij à Petro, qui nutu posset, non compresi; eius uoluntatem nudare uidentur. haec nos suspicio solici- tos habet. Verbis quidem, iisq; perplexis, se Inquisitionem uelle Petrus negat; re affir- mat. Cur enim hos sermones, tantorum tumultuum causam, ferendo alit? Unum urgebas; ne à Petri uoluntate nos disun- geremus. In qua tandem re? fidem faciat. Petrus Inquisitionem se nolle; sermones in dies percrebentes cum auctorum malo, ac supplicio compescendo: metum quo ciui- tas suspensa est, demat: iam hae, quibus nunc omnia ardent, conticescent turbae: iā Neapolitanus populus totus Petri erit: omnesq; nos in obsequiis erga illum tibi, ac caeteris gregalibus tuis praecurremus: Quod si Inquisitionem disimulanter, & per ambages instituere Neapoli cupit; dabit ueniam Petrus si nulla meritata putam- us; quin illis exitij timorem (omnes enim

M 2 ita

ita existimant) potiorem ducamus. dabis ueniam tu ipse Sapone, si in assensu nostro ad illius uoluntatem adiungendo, te auctorem non satis locupletem putamus: Ut ne peregrini quidem persona, à te inducta, satis ponderis habet ad nos mouendos: cui facile oratio praecidi potest, si respondeamus; exterros alienarum ciuitatum studia, ac mores planè tenere non posse: nosq; rectè uiuendi, non exterros, sed maiores nostros magistros habere: neq; ceterorum iudicia maiorum nostrorum auctoritati preferre: neq; quae in aliis ciuitatibus fiunt, quamquam optimaratione ab illis fieri credimus; ad mores nostros accommodari: quantacunq; tandem amplitudine illæ ciuitates sint; Et in quâtacunq; prudenter laude uerentur. Neq; Neapolitanus populus ulli omnino mortalium de pietate concedit. qui etiam sine Inquisitione, Christianorum instituto, ut semper fecit uicturus est. Quam Inquisitionem, non ut rem suapte natura malam, sed ut minus sibi in praesentia apta recusat. Quin etiam illam

san-

sanctam rē, Et in primis necessariam constetur: eorumq; principum, ac populorum, qui illam acceperunt, Et colunt; prudenter pietatem probat, ac laudat. Haec Neapolitanum populum respōdere peregrino tuorenuntia Sapone: ac laruam depone: neq; eorum similis sis; qui petitionem cōiciunt, Et brachium student occultare. Omisis igitur istorum praeстиgiis, ad nos me Neapolitani conuerto: laetorq; quod eum omnium uestrum ardorem cerno; ut nulla unquam iusta causa fuerit, qua eadē esset aequè popularis. Non igitur, ut uos tortarer, aut docerem, huc orator ueni; sed ut sententiam meam, Et charitatem erga patriam testatam relinquem. Nam neq; incensa studia uestra, aut mea, aut cuiusquam adhortatione egent; Et qui in Inquisitione, re non improbanda, atq; adeò laudanda, uerū Neapolitano populo fugienda, horremus; eauos tacitos cogitationibus uestris subiicere scio: satisq; sunt per hos dies, omnium sermonibus iactata, ac disputationibus agitata. Neq; ego Casarem

Caesarem aut Petrum tacite perstringo. Nihil in illis sordidum, aut humile unquam cognoui: religionisq; tantum studio illos puto ad hoc consilium animum adiecisse: si modo adiecerunt sed, quod de Briareo est in fabulis, libet commemorare; quem ferunt centum manibus usum; ministros uidelicet, manus principis interpretantes. Non igitur Caesarem, aut Petrum timeo; sed uos: uos, inquam (libere enim in tanto salutis discrimine agendum est) qui Petri latera stipatis: qui eius uoluntatum admisisti, satellitesq; estis: quorum magna partem ad omnia nostra cupiditatis oculos adiecisse suspicor. Hac nos terrent: haec nos non Inquisitionem, quam si hic abesset metus, ultrò ascisceremus; sed hiantem, Ebus nostris imminentem avaritiam, abominari cogunt. Neq; presentes uos modò formidamus; sed eos quoq; qui uobis succedent. Haec Neapolitani hoc tempore pugnantur. Facite memineritis, quanta Neapolis, ut in magna urbe, ac celebri, copia sit egentium hominum E profligatorum, qui-  
ous

bus nihil religiosi, aut sancti sit; quiq; nullo diuini numinis metu continеantur; E exiguam mercede fidem addictam habeant. Quem enim nostrum, quamuis pium, ac purum, ab istorum cupiditate integrum; quam domum clausam; cuius rem tutam ab istorum rapacitate putatis fore? Accipite uero Inquisitionem Neapolitani: nae illam in capite, fama, fortunis uestris, liberorumq; uestrorum dominantem cernetis. At enim Caesar, E Petrus coeptam rem, cum religionis, tūm etiam constantiae, E existimationis causa, perseveranter tuebuntur. Nondum nudarunt uoluntatem Principes: nulla igitur illis inconstantia fama in desistendo est timenda. Neq; ego apud illos putem consentientia studia nostra tam leuia fore. Illud credo uerendum erit Casari, ne uictus destituisse uideatur; quod non illi fuerit par nobiscum contentio; potius quam meliore ratione adductus, quae res in laude semper positafuit; sententiam mutasse, Ferdi nandum maximum, ac sapientissimum regem imitatus; qui princeps uehe-

## TVMVLTVS

uehemens, & experiens, tamen in hac eadem re, aduersus patrum nostrorum incitata studia tendere destitit. Cumq; causa, quamobrem patres vestri Inquisitionem tam constanter tum recusarint; ut illis Ferdinandus cedere in animum induxerit, eadem adhuc maneant; cur uos diuersam à patribus vestris sententiam habeatis nō uideo. Deniq; sic statuo, oīa pericula adeunda; cūnnes acerbitates subeundas; mortem deniq; oppetendam potius, quam tam durum iugum accipiamus. Quod igitur me facturum negavi, uos hortor Neapolitani, ut quae singuli in quotidianis sermonibus, qui per hos dies fuerunt, prauobis tulistiſtis ea nunc uniuersi, consentiente clamore, ac uoce libertatis indice, declaratis: quodq; caput est; ut quae de libertate uestra, de uita, de fortunis decreueritis; ad ea constanter defendenda uos compareatis: similesq; patrum uestrorum sitis; quos accepimus ad omnia extrema descendere paratos fuisse potius, quam sibi, liberisq; suis illud iugum imponi paterentur; quod morte ipsa, iterum

## NEAPOLITANI 49

rum dico, si nulla fit alia eius uitandi via; sit depellendum. Eunctis assentientibus, in eius sententiam disceditur. Igitur ciuitatis Magistratus fortiter, & liberè agendum esse statuentes, Petrum adeunt; ut summam & extremam ciuitatis uoluntatem homini proponant. Atq; Annibal Bozutus, Iuuenis acer, in primisq; Neapolitanorum copiosus, cui id negotium publicè datum est; huiuscemodi ad Petrum orationem habuit. Utinam Petre, nulla unquam incidat res, quae nos magis à te dissentire, aut à perpetua, contestataq; fidelitatis laude, cuius titulo haec Urbs insignis semper fuit: deflectere cogat. Summam in te Petre, pro singulari tua religione, urbis, ac regni huius ab istis nouarum opinionum contagionibus purgandi uoluntatem uidemur. Cui rei tantum abest, ut aduēsemus, ut contra omnibus praecibus efflagitemus; ut in pia ista, ac sancta mente permaneas: ad nullamq; rem ardentera, aut magis con-

N  
sentien-

*TVMVLTVS*

sentientia studia nostra sis habiturus: neq;  
ullum uirtutis tuae, & istius loci, quem ob-  
tines, munus Neapolitano populo gratius  
esse posse. Quod si gliscens mali tollendi,  
nulla est alia, quam Inquisitionis uia; nos  
uerò illam non libenter modò, sed etiam  
cupide accipimus; atq; adeò ultrò ascisci-  
mus. Nostrae enim, ac maiorum nostrorum  
pietati proximi semper futuri sumus: re-  
ligionisq; studium omnibus rebus antepo-  
nemus. Caeterum, ut Inquisitionem, rem  
sanctam, ac piam fatemur; quiq; illā Prin-  
cipes, ac populi in regnis, & ciuitatibus  
suis acceperunt, eos piè, ac sapienter fecisse  
nō dubitamus; ita Neapoli nō id adhuc ha-  
bet uity res; neq; tātum robur impuralues  
assumpsit; ut non multae aliae rationes fa-  
cile iniri possint, eam ex hac urbe, atq; ex  
toto hoc regno exterminandi. Extremum  
remedium extremis temporibus reserue-  
tur. Notum tibi est Petre, populum Nea-  
politanum execribili odio Inquisitionis no-  
men abominari. Neq; iniurierata, ac peni-  
tus insita animis opinio, ulla ratione illi

euelli

*NEAPOLITANI* 50

euelli potest. Multa in nouo, & in usitato tri-  
bunali instituendo ad terrorem proponun-  
tur: quae ne quenquam asperius appella-  
re, aut perstringere cogar; in cogitatione  
tua relinquenda puto. Neq; debes tu. Pe-  
tre, pro tua sapientia, ex tua natura caete-  
ros existimare; aut putare ministros, qui-  
bus septus es; eadem, quate mente omnes  
uti. Religionem tu, ac Caesar Rex noster,  
unam propositam habetis. neq; id cuiquam  
nostrum dubium est. Longè alia illi possunt  
spectare. Quales autem successores tuos si-  
mus habituri; quis diuinare posse? Ignor-  
isce timori nostro, uano forsitan; caeterum  
non sine magna ratione suscepto. Ciuitatē  
hanc tuam, quam charissimam patriam  
appellare soles; metu, quo nunc suspensa  
pendet; libera: suspicionem, quae illam so-  
licitam habet; deme ut tecum: in gratia,  
& in amore, quemadmodum semper adhuc  
fuit; ita in perpetuum esse posse. Neq; ul-  
lam nostram temeritatem, aut contumaci-  
am debes arguere; si iuris eximijs, quo  
Ferdinandus Rex Catholicus nos esse uo-

N 2 luit,

## TVMVLTVS

luit, retinētes sumus: qui Inquisitionis mentionem in praeclara hac urbe in perpetuum interdixit. Proinde, ut summa & extrema huius ciuitatis, caetero qui dicto audientis, sententia tibi exposita sit, ita cum animis nostris statutum habemus, ut quid quis perpetuatis ducamus; quam Inquisitionem accipere. Quanti ponderis haec ciuitatis uoluntas apud te futura sit, ignoramus. Graue certè illam speramus fore. Illud te oramus: tuamq; fidem imploram, & obtestamur; ne eius rei perseuerantia, cuius nomen nobis non modo odio, & acerbitati, sed morti etiam sit: nos eum in locum progreedi cogas, à quo & natura, uoluntate, & instiuita uita eratione remotissimi semper fuimus. Vehementi animo, ac nimiae libertatis hominum insolenti, tā libera oratio quasi faces quasdam admouit, atq; ab optimo proposito uoluntatis non nudandae, occaecatam iracundia mentem abstraxit. Igitur intemperatia prouectus, Egopol, inquit, Inquisitionis tribunal, uobis inuitis, in medio Neapolitanoforo constituuam.

## NEAPOLITANI 51

stituam. Cūm non minus liberè, nec minus ferociter à Bolzuto responsum esset; descendunt: quaeq; Vicarius respondisset, ciuitati renuntiant. Quod responsum ciuitas ita grauiter tulit, ut ira & indignatione exstans, non sibi diutius cunctandum arbitraretur. Itaq; pluribus consiliis à plebe habitis, cum res disputationibus, & altercationibus diu extracta esset; nonnunquam etiam ad iurgia exarsisset, studiis in utramq; partem accensis; tandem universa plebs ad diuini Augustini congregata, cōclamauit, populum Neapolitanum nullo modo Inquisitionem accipere: iubereq; uiros à se creatos, coniunctionem omnium consiliorū, omniumq; studiorum societatem cum Nobilitate inire. Id nisi grauissimis, & extremis penè ciuitatis temporibus fieri solet. Ex eo decreto creati à plebe, ad diuini Lauren-  
tij, societatem cum Nobilitate sanxerunt. quae sacris solemnibus ea de causa perfectis, postero die summa cum omnium laetitia, tota urbe pronuntiata est. Quare uchementer percussus Petrus, cum ad

ad haud dubiam seditionem res spectaret; tempori cedendum statuens, duos ex consilio viros ad Magistratum mittit; qui demonstrent, non satis perceptam fuisse sententiam suam; quae à ciuitatis uolunta te nunquam discrepatura sit. Vocatoq; ad se Magistratu, eadem ferè quae per legatos egerat ostendit; sibi nunquā in animo fuisse, ciuitati, quam paterna benevolentia, omnibusq; officiis semper cōplexus sit; nim afferre. Eam cum ab Inquisitione tanto pere abhorrentem uideat, eo metu se omnes liberare, atq; omnem mentionem Inquisitionis planè tollere. Gratiis, quantae maximaे agi potuerunt, actis; cum diuinum hoc beneficium praeteritorum meritorum cumulum superare dixissent; in urbem reuersi, cum quae acta essent renuntiassent, ingens laetitia est consequata: omnesq; animorum motus in præsentia considerunt: ac ciuitas post id factum paulisper quieta fuit. Caeterum Petrus, qui infinito quodam imperio Neapolitanos humiles habere semper consueisset; indignatus ho-

mines

mines, hac ueluti uictoria de se parta, nimios sibi spiritus paulatim sumere; ne autoritas sua ferendo & conniuendo debilitaretur; eorum contumaciam compescendam ratus; in eos, qui sese paulò liberius in causa iactassent, grauioresq; de ipso sermones habuissent; animaduertere constituit: ut eorum poena reliquos ad severitatis sua timorem reuocaret. Itaq; per iurisdictionis Praefectum, quem Vicariae Regentem uocant; in homines inquirere instituit. quae res à Neapolitanis cognita, pristinos tumultus, maioribus animorum motibus renouauit; maioremq; uoluntatis Petri suspcionem commouit; ac liberiiores sermones excitauit. Vulgo enim dictabant; cui non apparere, Petrum ad Inquisitionem, quam aperte consequi non potuerit; his cuniculis sibi uiam munire? idq; agere; ut eorum, qui recusandæ Inquisitionis autores fuissent, supplicio reliqui deterriti, uocem contra eius libidinem mittere non auderent? Igitur multi cùm ex Nobilitate, tūm ex honestis plebeis, communicatis consiliis, sese omni

## TV MVLTVS

omni ope ad resistendum parant . in quibus Caesar Mormilius princeps , studia sua ciuitati profitetur . Is ex Nobilitate multitudini maxime erat acceptus . plebem . n . atq; infima fortis homines omnibus officiis semper coluerat : magnumq; in illo oppressis , laborantibus erat perfugium . eos subleuare ; ac quibuscunq; rebus poterat , iuuare : familiariterq; tenuiorum consuetudine convictu uti . Erat praeterea eius domus obaeratorum , ac reorum , exulum receptaculum . Eos omni ratione tegere ; opemq; suam iis libentissime porrigit . Quibus rebus id assecutus fuerat ; ut plebi esset charissimus : plurimumq; apud illam posset : magnamq; hominum multitudinem semper domi , ac secum haberet . sunt qui affirment , prater communem recusanda Inquisitionis uoluntatem , alias fuisse priuatas causas , quae hominem rerum permiscendarum , nouandarum in primis cupidum facerent ; aeris alieni magnitudo ; anteactae uita et ratio ; quase Petro inuisum sentiebat . Itaq; in causa tam populari , uir maximè popularis ,

## NEAPOLITANI 53

ris , statim multitudinis studia , ac frequen- tiam ad se attraxit : tantamq; sibi auctoritatem breui comparauit ; ut Regnum ciuitatis tenere uideretur ; summaq; in illo esset omnium rerum potestas ; omniaq; in eius arbitrio , ac moderatione uersarentur . Cuius gloriae aemulus , Ioannes Franciscus Caracciolum , adolescens impiger , magnaetq; inter Nobiles gratiae , cum plebem à Mormilio teneri animaduerteret ; paucis post diebus Nobilitatis studia sibi adiunxit : nobiliumq; iuuentute stipatus ; nomen , et auctoritatem suam Mormilio aequauit . Horum uterq; ingenti affectatorum multitudine stipatus , urbem circumiens , Inquisitionem detestari ; libere , et asperè in Petrum loqui ; ciuium animos in illum incitare . Versabantur quoq; acriter in causa nonnulli ex plebeiorum optimatibus . Horum omnium uoces magno assensu , magnoque ab omnibus plausu accipiebantur . Cum hic esset rerum status ; atq; ii , quos supra diximus , populum in Petrum incitarent ; cōtra iurisdi-

O

ctio-

ctionis Praefectus in eos inquireret; Vicarius Archiepiscopi, pro iure mineris sui, edictum ex ueteri Ecclesia more, atq; instituto, alieno ciuitatis tempore, proposuit: quo se se Dioecesim lustraturum; atq; in uitam, & mores sacerdotum inquisitum, pronuntiavit. Hanc occasionem arripientes ij, qui turbandarum rerum erant cupidi; populum circumneentes, Inquisitionis uerbo, quod in edicto scriptum esset, ad imperitorum animos decipiendos abutebantur. Quid cunctarentur? quid cessarent? Non iam in opinione dubia, aut in metu; sed in re ipsa esse Inquisitionem: edictum Inquisitionis palam propositum: quid igitur expectarent? an dum uincti in carcerem pertraherentur? Leues auditiones, pro re cōperta multitudo saepè solet habere. Igitur magna animorum commotio facta est; ac tabernae clausae; totaq; urbe discursum. Interea iurisdictionis Praefectus in auctores turbarum inquirere perseverabat: Thomaſq; Anellus, qui ad causam dicendam vocatus fuerat; in aedibus publicis, ubi forum

forum agitur, in custodiam retentus fuit. Is erat infamae fortis uir; nulliusq; studia in Inquisitione detestanda, erant ardentera, aut uoces liberiiores: magnosq; sibi suae fortis hominum concursus, magnamq; audienciam faciebat. Quae res curiis nuntiata, ingentes turbas, magnosq; animorum motus excitauit. neq; cuiquam dubium fuit; quin Anellus, cōmuniſ libertatis causa in discrimen adductus, omniratione à perniciē liberaretur. Igitur Magistratus, magnusq; cūm Nobilium tūm plebeiorum numerus, in quibus fuit Mormilius; arcem uersus iter capiunt; iurisdictionis Praefectum obuium factum circūsistunt; atq; ut Thomam Anellum ciuitati restituat, rogāt. Ille primò recusare, ac tergiuersari: Magistratus acrius instare; ac docere multititudinem uebementer commotam; quam regere in potestate ipsorum non sit: monere se, atq; testari; rem ad seditionem, atq; ad armāspectare: neq; illum, Anello non restituto, tutò per urbem ire. sibi quidem ingentis alicuius mali non non suspicionem

## TVMVLTVS

modo, sed etiam speciem in oculis uersari. Proinde camaret; ne contra concitati populi studia pertinaciter tendendo, salitem ipse suam in discrimen offerret; atq; arborum causa esset. Hoc metu injecto, Petro tamen prius consulto; qui his motibus auditis, ex hortis Puteolanis in urbem uenerat; Anellum dimittit. nec prius tumultus cōticuit; quam Anellus per urbē equitans à multitudine conspectus est. Paucis post diebus longè grauior tumultus, quò maiore de homine, excitatus est. Ipse n. Mornilius, uocatu Praefecti, in aedes iurisdictionis uenit. Quod ubi per urbem dilagatum est; ac ne retineretur ieritum; incredibile est, quantā in salute hominis tuenda totius ciuitatis studia extiterint: quantaq; fuerit erga illum, omnium ordinum, atq; aetatum, voluntatum significatio. Nemo n. ferè fuit, qui non armā caperet; atq; ad aedes iurisdictionis accederet: temporisq; momento omnes viae, omnesq; areae, in quas ex aedibus est despectus; infinita hominum multitudine completae sunt. Quā

rem

## NEAPOLITANI 55

rem Praefectus per fenestram cernens; Casarem benignè appellatum, alia à se de cassa accessitum fingens; dimitit. Quas res Petrus animo, & cogitatione circūspicere; cum sibi nihil procedere uideret; seq; nullius partis uoluntatem tenere sentiret; ueritus, si ulterius tēdendo aliqua seditio excitata esset, ne eam ipse conflagasse uidetur; totam eam cogitationem sibi aliquando deponendam statuens; ac plebis saltem uoluntatem recuperare cupiens; Capitibus regionum (sunt ii nouem & uiginti) ad se à Dominico Tarracino adductis, quaestus est; eos, qui suā erga ipsos benignitatē, paternamq; uoluntatē semper experti esset, illorum uerbis potius, qui ipsos à se alienare studiuerint, quam ipsius factis credidisse: tamq; malam de se opinionem habuisse; ut à quo omnibus beneficiis semper fuissent ornati; eū petarint quicquā, quod cōtrarie, aut salutē ipsorum esset, cogitare potuisse. Cū superioribus diebus Inquisitionē planè sustulerit; ne credidisse quidem illos, neq; à tumultibus cessasse. nullam igitur esse rationem,

ex

## TV MVLTVS

ex ipsorum animis opinionem, eorum astutia, qui Inquisitionis propulsandae simulatione, longè alia ac grauiora spectent, instam euellere. Dolere se, atq; aegre ferre; quod gratiam, quam apud ipsos tantis, tāq; multis meritorum, & officiorum gradibus paulatim collegisset; una leuissima suspicione uiuersam, uno tempore, perdidit. Inquisitionem Neapoli instituere, nunquam sibi, aut Caesari in animo fuisse: idq; se saepius testatum esse. Quanquam nonnullos nouis opinionum erroribus depravatos, poena aliqua ad sanitatem reuocare; ac prouidere, ne pernitiosi morbi contagio latius serperet; cūm Deo immortali gratum, tum praeclarissimae ciuitati honorificum fuerat. Itaq;, ut omnem prorsus suspicionem tollat, omnemq; iis, quos nefaria consilia animo agitare dubium nō sit, excusationem eripiat; fidem suam non modò uerbis, sed etiam chirographo interponere: omnia praeterea uerba contra se, ac dignitatem suam habita, omnem contumaciam, omniaq; post eam mentionē

à Nea-

## NEAPOLITANI 56

à Neapolitanis commissa, cōdonare. Prodē bono animo essent; ac suspicionum, & tumultuum finem facerent: sibiq; eam, quam deberent, obedientiam, & voluntatem præstarent. Se quidem de pristina erga ipsos benevolentia non modò quicquam non remisisse; sed multum etiam ad illam in posterum additurum. In eam sententiam chirographum dedit. Quo diuulgato, ingens laetitia tota urbe fuit; igniumq; & facium significationibus tribus diebus celebrata: Deoq; immortali supplicationibus gratiae solēniter acte. Nēq; tamen ciuitas sic circa quieta fuit; alia motuum causa excitata. de mittendis, n. legatis ad Caesarem agebatur, qui pro negotiis ciuitatis, ac regni insuturum apud Caesarem aſidui essent; quiq; in praesentia ciuitatis factum purgarent; ac perduellionis, & perfidiae crimen, cuius à Petro insimulabantur, diluerent. Petrus enim siue ut inuidiam cōflatorum tumultum à se deprecaretur; siue quod nonnullos occulta consilia rerum nouandarum cum Gallis communicasse, ad se delatū effe

esse diceret; perduellionis ream ciuitatem facere contendebat. Cum quotidie consilia haberentur; resq; contentionibus & controuersiis diu extracta fuisset; amicis Petri, (quorum haud contemnedum numerum in singulis curiis habebat) omni ope cōtraten dentibus; tandem decretum est, legatos mittendos: legatusq; creatus Ferdinandus Sanseuerinus, Salernitanorum Princeps, ac Placitus Sangrius illi additus; qui, cū praeſeti legationis munere perfuncti essent, ac Sanseuerinus Neapolim reuerteretur; apud Caesarem esset. Tulit grauiter eam rem Petrus multis de causis, quarum illa non in postremis pungebat; quod Salernitanum, virum fortunae amplitudine, genere, tūm autem auctoritate, & gratia omnium Neapolitanorum facile principem, laedendi cupidum, quod multae inter ipsos simultatum cause intercederent; criminatorem esset habiturus. Additae sunt à Neapolitanis nouae irarum cause. Nam Dominicus Tarracinus, & caeteri Petri studiosi, qui in praeteritis consiliis

pro

pro Petri uoluntate acriter pugnauerant; omnibus conuiciis, & contumeliis uulgo iactabantur: nomenq; hominum summa erat apud omnes infamia, & offensione. quippe quos dicerent, priuatae assentationis gratia, communem libertatis causam prodere: in illudq; hominum odium peruererant; ut sibilo a populo saepe consisi, in publicum prodire non auderent. Ac forte, quodam die, duo ex illis ab impuberibus pueris forte conspecti in publico; primo maledictis, deinde lapidibus appetiti sunt: ac crescente paulatim turba impuberum, ad famam rei, ut fit, ex tota urbe accurrentium; cum grauius urgerentur, in templum quoddam compulsi, atq; ibi diu obſeffi; non procul ab extremo fuerunt discrimine impuberibus (qui ad trium millium amplius numerum deinceps abundarant) tam obstinate in eorum perniciem incumbentibus; ut auctoritate, & minis Praefecti iurisdictionis, qui ad homines liberandos uenerat; ab incepto deterreri non

P

potue-

potuerint. Nec finem pertinaciae fecissent; ni Mormilius, ac nonnulli alij interuenissent: qui plurimo negotio, omniq; uerborum blanditia, impuberum ardorem tandem sedarunt; hominesq; ex periculo eripuerunt. Neq; tamen prius impetus consedit; quam ad ipsius Tarracini aedes accederent; ac conceptum imbecillis mentibus odium, in ianuam & parietes, quando in aliam rem nullam poterant; lapidibus, & contumelias uerborum expromeret. Eas res Petrus, cum in contumeliam suam uerteret; indigneq; ferret nomen suum, tam antea formidolosum, paulatim consenescere, ac penè iā contemptui esse; Neapolitanosq; intelligeret, hac peccandi impunitate prouectos, non prius nimia libertate abutendi finem facturos, quam illorum insolentiam, quam ipsem tolerando aleret, fregisset; statuit severitatis suae aculeos, quos illi excusso putarent, sibi aliquando excitandos: atrocisq; aliquo edito exemplo homines ad sanitatem, ac pristinam formidinem reuocandos. Eripuerant forte per idem tempus nonnulli

nonnulli adolescentes nobiles ab apparitoribus quendam infima fortis hominem; qui ob exiguum aes alienum in carcerem ducebatur. Ex iis adolescentibus iurisdictionis Praefectus tres comprehendendi fecerat, & in carcerem concludi. Vis ministris regiis allata, iurisdictionisq; impedita, satis iusta causa animaduertendi uisa. Igitur adolescentes in arcem clam noctu traducti, propinquis rem ignorantibus; mane extra arcem producti, ab aethiope deinceps ingulati sunt: causaq; mortis à tubicinae pronuntiata; quod iurisdictionem impediuerint. Quae res non motibus, ut sperraret Petrus, finem attulit; sed seditionū ac malorum principiū fuit. Tantae n. atrocitatis fama omnes Neapolitanos subito commovit: statimq; tabernas claudi conclamatum: quae res initium seditionis esse solet: omniumq; hominum, & aetatū concursus ad arcem factus. Ibi miseri adolescentes conspecti, extremum adhuc spiritum retinentes; cruento, sordibus, puluere foedati, uix ut agnosci possent; per solum se

uolutantes; omnium animos misericordia, dolore, ira, indignatione vulnerabant. Qui toto eo die, Petri iussu, in eodem loco relieti, sub uesterum in aedem quandam, per terram, pedibus tracti sunt. Seueritati additus Neapolitanorum contemptus. Per urbem enim Petrus equitare; ac praeter Neapolitanorum oculos circuuehi consti-  
tuist. Cuius rei cum nonnulli illi auctores essent; multi contra ab eo consilio hominem magnoperè revocare nitebantur: cum dice-  
rent, recenti dolore & iracundia ciuitatē ardere: quibus rebus caecam, non posse illius reirationem ducere: neq, debere illum, pro sua prudentia, Caesaris maiestatem, quae in illius persona laederetur; ac salu-  
tem ipse suam in tantum discrimen temere offerre; neq, committere, ut fidelissima ciui-  
tas tanto se se criminè Caesari obstringat. Quibus monitis spretis Petrus, cum exi-  
stimaret homines non tam temere re com-  
mittere solere, quam uerbis ferociter loqui;  
ingenti Principum regni cateria septus,  
quos omnes fere comites habuit; arcem  
exiuit

exiuit. Sunt qui dicant, Petrum consili-  
e uestigio poenituisse; cum etiam tenuiores  
indignationem uultu praeferentes, in ne-  
mineq, ullam, aut capite, aut alia re hono-  
ris significationem cerneret. Operae pre-  
tium est audire, quanta sit in multitudinis  
animis mobilitas: quamq, parum stabilis  
sit apud illam beneficiorum gratia. Pro cer-  
to enim creditur, eandem plebem, apud  
quam paulò ante pro beneficiorum magni-  
tudine, terrestris cuiusdam Numinis ma-  
iestatem obtinuerat; hoc uno facinore in ho-  
mines eius ordinis, quem odiisse solita esset,  
edito; omnium praeteritorum meritorum  
oblitam, ab eo manus non fuisse temperatu-  
turā: eamq, rem prā se tulisse; nisi ipsorum  
Nobilium uoces, & preces incensa studiare  
pressissent. Eorum nonnulli, tota urbe pere-  
quitantes, homines appellare: ac ne se se cō-  
moverent, neu quicquā cōmitterent, quo  
alienam culpam in se transferrent; hortari:  
necatos esse ex Nobilium corpore: non plebi  
sed nobilitati iniuriam factam: eam plebi  
remittere, ne uicem suam doleret; neuve ini-  
rias

rias suas ulcisceretur. Igitur Petrus celebriores urbis partes cum obiisset; in arcem reversus est. Postero die (is fuit octavo calendas Iunias) quod tanti animorum motus iam diu parturiebant; tandem peperrunt. Seditio enim excitata est: quam à Mormilio conflatam, sunt qui putent. quē ferunt, cum satis sciret Petrum sibi implacabilem fore; id quod Petrus semper præsestulit; pestem à se communi incendio remouere uoluisse: illudq; semper studuisse; ut res ad arma dederetur. cuius rei hanc rationem iniisse. Ad loca arci circuibeta nonnullos armatos misse: qui cum ibi speculabundi aliquandiu fuissent; ab iisq; qui in arce in speculis erāt, essent conspecti; multos ex arce armatos exiisse. quam occasio nem Mormilius cum arripuisse; sermones dissipasse; armatos ex arce à Petro mitti, qui multos ex optimatibus caperent, atq; in arcem pertraherent: iamq; nonnullos comprehensos: in quibus ipsum Mormiliū nominabant. Is se de industria occultarat. Enim uero ad arma subito vulgo cōclamatum

tum est: armaq; ipsa ab omnibus raptim sumpta: atq; ad arcem concursum. seditione, tandem commissa, Mormilius apparuit. Ingens igitur praelium inter Neapolitanos, & Hispanos commissum est: in quo multi undiq; ceciderunt. cumq; ad uesperum finis esset pugnandi factus: non tamen arma deposita sunt. Omnis n. ciuitas ad diui Laurentij armata conuenit: cunctisq; Principibus accersitis, societas renouatur: ipsaq; ac Caesariani status defensio tota urbe pronuntiatur: Caesariq; uexillum in turri publica defigitur. Inde crucem præferentes, ad templum maximum acceditur. Ibi solennibus iuris iurandi uerbis societas sanctitur. Ea nocte, dispositis stationibus, ciuitas in armis fuit. Postero die ad aedes iurisdictionis misi, qui Hieronymum Fonsecam, iurisdictionis Praefectum ciuitatis uerbis monerent: ut aedes patefaceret, ac de more ius diceret. Ciuitatem enim Cae-saris imperio parentissimam praestò illi futuram. Ille se, nisi armis positis, ius dictum negare. Circiter meridiem, ad arma iterum

## TV MVLTVS

iterum multis in urbis locis, incertum qua de causa, conclamatum: acrisq; atrocius pralium quam hesternum, factum: maiorg; caedes edita; arce bombardas in urbem dislodente: quarum ictibus multi cedebant; magnisq; detrimentis proxima arti adficia afficiebantur: ex quibus ab omnibus statim est demigratum. Postero die, Fabius Arcella, Bessinanorum Episcopus, & Petrus Antonius Sanseuerinus, Bessianii Princeps; compluresq; alii ex principibus, Petrum in arce adeunt, queruntur in fidelissimam urbem, rationam in hostile, tormenta dislodri; atq; armatae summae videntur, ut finem faciat; aliquaq; componentiarum rerum ratio ineatur. Quorum orationem tum aspernatus Petrus, non sibi satisfieri posse respondit; nisi uiginti capita, quae ipse deposcisset, sibi in potestatem darentur. Cum aliquantum esset altercatum; ut postridie reuerterentur moniti: Quorum rerum fama, complures exiles, quibus Neapolitanum regnum ferè refertum est, exciti, in urbem, per speciem opis feren-  
dae,

## NEAPOLITANI 61

dae, conueniebant. Quorum aduentu, ueluti hominum ad omnia facinora, atq; ad omnes rapinas paratorum, complures perterriti; simul odio, actatio p[re]aesentis rerum status, urbe excedebant: tantaq; erat quotidie abeuntium multitudo; ut nisi Magistratus portas urbis claudi, atq; edificis set, ne quis exiret; urbs habitatoribus inanis breui futura fuerit. In exeuntibus fuit Ioannes Andreas Curtius: qui summum uitae discrimen adiit. Eius casus mihi duabus de causis, literarum monumentis paulò diligentius mandandus uisus est. altera, quod ex eo in primis apparebit, quam inconsulta, quamq; p[re]aceps sit vulgi temeritas: quae ita caeco, & impotenti furore saepè rapitur; ut nullus illam aut pudor cohibeat; aut consilium regat. altera, quod ex illo locus mihi datus est, rem aetate nostra in primis memorabilem posteritatis memoriae prodendi. Is igitur Curtius, maioribus urbe Papia, loco claro oriundis, cum in summo regio consilio, in quo Ma-

Q gistra-

gistratu principem locum facile obtinebat, multa eximiae doctrinae, & ingenij, tum autem singularis probitatis, ac morum gravitatis documēt a perpetuo tenore dedisset; multaq; illius essent in Regem, & in patriā merita (quae res hominem ad summum Praesidis locum in supremo Neapolitani regni consilio, atq; ad munus magni Protonotary administrandum postea extulerunt: quibus in magistratibus perpetuo gerendis, maxima cum laude & auctoritate versatur) tadio tam turbulenti cūsitatī statim; ac ne in tanta rerum colluione, nullius dicti, factiue contagione uiolaretur; cū neq; aut contra Petrum ire, aut contra ciuium incitata studia tendere sibi honestum censeret; illis se turbis subtrahere decreuit, urbeq; excedere. Quare uxore, ac parvulis natis, totaq; familia praemissa, ipse paulò post cum Octauiano fratre, eximio & ipso iurisconsulto, ac laudatis moribus, haud contemnendisq; regni honoribus usq; luce, ac palam, ut in nulla suspecta re, per urbem equitans, à plebe in foro conspectus; irascomouit:

mouit: ea solum de causa, quod hominem Petro acceptum scirent; atq; in circa participem consiliorum, contra ciuitatis voluntatem initorum, interpretarentur: ut est multitudinis natura, omni leui suspicitionis aura mobilis. Impetum igitur in homines parant. Quem illi ex multis aversantium, ac minitabundis similium, in se intentum prouidentes, in proximam sacram aedem configiunt; ne horribili commota procella obruantur: sacerdotumq; & monachorum fidem, & opem implorant. Illi dignitate uirorum, & rei atrocitate permoti, latebris quam maximè abditis homines occultant. Euestigioq; turba, rabie furens, sacram aedem irrumpit, nefariaq;, ac perfidiosa capita sibi indicari minaciter clamant. Constanter negant monachi illos apud se esse: alia enim via euasisse. Plebs omnibus perlustratis, ac spe frustrata, rabieq; ardes, inclusum odium, quod uenerabilium hominum sanguine explere non potuerat; in parvulos natos expromere decreuit. Furore igitur inflammata, praegressos cursim inse-

qui instituit: Et ad oppidū quod Turrim Graeci, vulgo appellant, assequitur: neq; dubitatur, quin innoxiae aetatis sanguine se commaculaturi fuerint, tantamq; labem mentibus concepturi, ni nefaria consilia Deus immortalis auertisset. Rei enim atrocitate, Et misericordia oppidanī comoti, armis statim arreptis, sese furenti multitudini opponunt: consertaq; manu eā tandem repellunt, Ita innoxia aetas ē furientium faucibus erepta est. quod periculum, diuini potius Numinis, quam ulla hominum ope discussum crediderim: ne ea indoles uirtutum, quae humanum captum excessisse uerè existimāda est; simul interiret. Quae mihi causa in primis fuit, ut hūc Curtij casum scriptis illustrarem. Ums enim ē pueris, Marius fuit aetatis quatuor annorum. In hoc puerō tāta uis animi, ingenijq; fuit; ut cum in ipsa infantia antequā prima literarum elemēt a attingere potuisset, utroq; oculo captus sit, lucifq; usura in perpetuum plane orbatus, tā acrem tamen ingenij uim in literarum studia intenderit,

derit, eaq; fuerit in perdiscēdo felicitate; ut quintum decimum aetatis annum nōdum egressus, eam in humanioribus, Et eloquentiae, ac Poetices studiis facultatē adeptus sit, ut praeclara scripta tam soluta oratione, quā uario metrorum genere oēs mirantur. Mox ad grauiora scietiarum studia animo, uersatiliq; ad oīa ingenio conuerso, eos breui i Philosophia progressus habuerit, ut undeuigesimo aetatis anno, eius scientia interpretandae, ac de superiore loco explanandae munus ilii publicē mandatum sit. Quod munus ita impleuit, ut disputando, differendo, docendo, arduas atq; abditas, maioribusq; controversiis implicatas quaestiones explicando, magnam sibi audientiam, magnosq; hominum concursus faceret: ad extremum, pari cum laude in Theologiae studiis fit uersatus. In quanib; est tam difficile, ac recōditum; totue obscuritatibus inuolutum, tam apud Thomā, quam Scotti sectatores (duae enim haeschola in prima commendatione ponuntur) quod egregij adolescentis scientiam effu-

effugiat: Ut omittam ne Musices quidem illum expertem esse; fidibusq; egregie canere: adeò i omnibus ingenij specimen agnoscas. Quae tanta, acta multae uirtutes miraculo mibi fuerunt in homine uigissimum septimum atatis annum nondū egresso, cum Neapoli fuisset; iucundaq; unici exempli adolescentis consuetudine perfamiliariter usus esset; quaeq; fama acceperā, præsentia comprobasset, & auxisset; simulq; suauitatem, ac sanctitatem morum cognovissem; quodq; in primis miratus sum, ingenium ad ciuiles quoq; magnas, ac publicas res tractandas, non minus, quam ad doctrinae studia aptum. Quae res ne posteritati ignotae essent; deberi à me, cum summis, & praecellentibus uirtutibus, tū nostrae animorum coniunctioni existimau. Igitur duomilia peditum ad urbis custodiā, & tutelam, in consilio decreta sunt. Postero die, Magistratns fide Petri Gonzalij, arcis Praefecti accepta, in arcem ad Petrum accedit. Ibi Arcella, & Beßinia-no interpretibus, res ita conuenit. Ne tumultus

multus & seditiones cuiquam fraudi effent: neque ipse, eorum causa, in quēquam animaduerteret: aut quicquam omnino faceret, diligati ciuitatis; ac Petrus Gonzalij, quem ipse ad Caesarem cum mandatis missurus esset; ad Caesarem accessissent: Caesariq; quibus standum esset, imperata uenissent: in quae uerba chirographum dedit. quae res praeliorum potius & contentionum finis, quam quietis initium fuit. Nam quāquam aedibus iurisdictio- nis patefactis, ius dici, & in maleficos ani- maduerti coeptum est; non tamen arma po- sita sunt, neq; nocturnae stationes tota urbe omisae: ad alias solitudines, exulum, quorum in dies numerus angebatur, addi- to metu. Interea annona, aliaeq; res ad ob- sidionem tolerādam idoneae, in arcem quo- tidie comportari: summaq; in iis rebus ad- ministrandis diligentia adhiberi. Vulgo praeterea ferebatur, magnum Hispanorū numerum à Petro expectari. quae res su- spiciones & solitudines angebat; tumul- tusq; ut necesse erat, saepè excitabat. In ipso

ipso etiam consilio, sententiis & studiis, non  
nunquam etiam iurgiis certabatur: ut non  
nulli haud procul à vita discrimine fuerint.  
Magnus igitur hominum numerus, tam  
ex Nobilitate, quam ex caeteris cuiusvis  
ordinis hominibus, ex urbe quotidie exire:  
ac se in proximaloca recipere: neq; iam à  
Magistratu retineri posse. Quibus de cau-  
sis, summa erat in omnibus urbis partibus  
moestitia. *s. t. Mormilius, & Caraccio-  
lus; Ioānes item Sueffanus, qui magna erat  
cum plebe in gratia & benevolentia, nullo  
loco patriæ deesse: urbem cum magna secta-  
torum manu, armati dies noctesq; circuiri:  
ciuium animos metu suspensos confirmare.*  
*Eodem tempore, Petrus in ciuitatem, ciui-  
tas in Petrum crimina quaerebant. Cumq;  
Salernitanus, ac Sangrius iam urbe essent  
profecti; noua quoq; criminum, & odio-  
rum causa excitata est. Nam libelli, ut in  
summa omnium rerum licentia, quotidie  
proponebantur; quibus Bessinianus, ac non-  
nulli alij principes, ueluti patriæ hostes,  
probris, & conuiciis lacerabantur. Ipse  
etiam*

etiam Petrus nonnunquam asperè, & acer-  
bè perstringebatur; Hispanorūq; imperium  
eiiciebatur, ac Galli accersebatur. Enim  
uerò Petrus iracundia, & stomacho exar-  
sit: atq; hanc ciuitatis criminandae occa-  
sionem arripiens; per epistolam ad consilium  
datam, Ut missa omnia praeterita  
inquit, fiant; quod in praesentia facerent  
de accersendis Gallis, quo tandem nomine  
appellantur esse? aut si hoc non esset,  
quod tandem esse perduellionis, & maie-  
statis crimen? *Quomodo igitur tantam  
labem ciuitati, quam fideliſimam uocare  
soleant, conceptam eluant, nisi nefario-  
rum hominum, qui ista admiserint, sup-  
plicii? aut quam aliam esse ciuitatis pur-  
gandae rationem; quam si eos constrictos,  
ac pedibus tractos sibi tradidissent; ut di-  
gna in homines tāta perfidia exempla ede-  
ret?* Lecta epistola, Magistratus Petrum  
adit. docet, nihil eorum, quorum ciuitatem  
insimulet; publico factum consilio: neq; sci-  
re Magistratum, neq; in tanta omnium re-  
rū perturbatione, innuenire potuisse, qui hac

R

admit-

## TV MVLTVS

admittant. proinde ciuitatem extra omnē noxam esse. Id sese ut testatum relinquant, uenisse. Granibus uerbis à Petro male accepti, dimituntur : libellusq; testationis, quem attulerant; concerptus. additae minnae, si scriba ea de causa, in arcem reuertetur. Caeterum à Nola, & Cava, nonnullisq; aliis urbibus, Petri uerbis postulatum; ut sibi per epistolas suas ad Caesarem bene gestae prouinciae testimonium, ac laudationem darent: quae res impetrari non potuit; respondentibus ciuitatibus, non esse moris, ut à praeclarissima urbe Neapoli, quae caput Regni sit, consilia separent: eius auctoritatem sese omnibus in rebus secuturas. Quin etiam, Neapolim ab totius ferre regni ciuitatibus legationes missae; studia, atq; opem suam profitentes. Interea Caesarianae triremes Neapolim ueniunt; ac non exiguum Hispanorum militum numerum in terram exponunt: qui in urbem à Petro sunt accepti; ciuitate frustra, omni ope contra tendente; ac petente ut uiginti millia passuum procul ab urbe, ut iura sua esse

## NEAPOLITANI 66

esse dicebat, collocarentur. Quae res suspicione auxit; magnosq; tumultus, & animorum motus excitauit. cum praesertim, eodem tempore Petrus edictum pronuntiari fecisset; quo omnes Principes, ac fiduciarij regni, ad aedificia arci circuicta incolenda commigrare iubebantur. Eares multis diebus, in conciliis, & coetibus iactata; Petro modo eam necessitatem remittente; modo edictum renouante. Plurimi tamen sua sponte dicto audientes fuerunt. multiq;, cum ex principibus, tum ex reliqua Nobilitate, ac plebeiorum optimatis, & in arce, & in proximis locis erant, cum Petro. Caeterum Neapolitani, innumeræ exulum multitudine in dies in urbe confluente, ancipi exulum, & militum, metu suspensi, dies noctesq; in armis esse: ad consiliumq; armati accedere: summaq; contentione à iurisdictionis Praefecto petere; ut ad exules conquirendos, atq; expellendos prodiret. In eam rem opem suam polliceri: ac testari, direptionis urbis culpam (quam imminere cui non apparere?) non ciuitati,

R 2 qua

## TVMLTVS

qua exules non accersiuerat; sed ipsi, qui illos non expulisset, assignatum iri. Quod ille se facturum negauit: ipsoſq; iuſſit, qui leuiſſimiſ de cauſis ire ad arma tam facile ſolerent; eadem nunc arma ad exules expellendos ſumere. Multi igitur in tan-  
ta rerum perturbatione tumultus quoti-  
die excitari: multi concurſus, ac clamo-  
res fieri: ſaepeq; ad arma conclamari:  
aedes iurisdictionis modo claudi; modo  
aperiri: Praefectusq; ipſe, modo iurisdic-  
tione ſeſe uerbis abdicare; modo ad exu-  
les cōprehendendos irrito incepto prodire:  
contentionesq; & certamina inter ciuita-  
tis primores excitari. Cum duos cir-  
citer menses post inducias factas, in iis  
rerum perturbationibus, atq; animorum  
ſuspensionibus ciuitas fuifet; longe gra-  
uior, quam prior, ſeditio orta eſt. Hu-  
ius ſeditionis alij caſum; alij Petruim  
auctorem faciunt. quem ferunt, cum  
nullam aliam rationem inuidiae conſla-  
torum tumultuum detestandae ſatis ex-  
pli catam haberet; ſemper illud ſtuduiffe;

ut

## NEAPOLITANI 67

ut ciuitatem malis ſubactam in eum lo-  
cum, atq; ad ea committenda perduce-  
ret; ex quibus perduellionis crimen col-  
ligere poſſet. Initium armorum fuit Hi-  
spanus miles, qui per leues quaſdam cau-  
ſas Neapolitanum gladio percuſſit. Re  
comperta, frater Neapolitani, qui tum  
forte prop̄ aberat, nonnulliq; alij ad o-  
pem ferendam accurrunt: gladiisq; educ-  
tis, cum percusſore, & ſociis manum  
conferunt. Id cernentes Hispani, quo-  
rum non exigua manus ex arce à Petro  
composito antē miſſa fuerat, ſtatiū ad-  
uolant; atq; in Neapolitanos, qui ſuper-  
uenerant, impetum faciunt; ſclopiſq; di-  
ſploſis multos interficiunt. Cuius rei  
fama urbe diuulgata, omnes ad ope-  
m ferendam excitauit: magnusq; ad eum  
locum concurſus eſt factus; atq; ingens  
praelium commiſſum: magnoq; irarum  
certamine res geſta eſt: cum multi mor-  
tales utrinq; caderent. Maior tamen  
Neapolitanorum numerus eo die eſt deſi-  
deratus: utraq; arce, & ea, quae in piano  
ſita,

sita, cum portu coniungitur; Et ea quae motis dini Martini cacumini imposita, urbi imminet; bombardas in urbem dislodente: quibus non modo homines exanimabantur, sed aedificia etiam diruebantur. Quibus malis impulsisq; qui loca arcis proxima incolebant; sedes ac domicilia sua relinquerent, atq; alias urbis partes petere cogebantur: magnamq; misericordiam commonebant confusum mulierum, infantium, ac senum vulgus: qui partim seminudi; partim ea, quae rerum suarum, in tumultu, raptim, trepidantesq; eripere potuerant, capitibus imposta gestantes; pa?im, nulloq; ordine, ignorantes quas urbis partes perterent; errabat. Sed longe miserabilior erat eorum, qui ex pugna inter manus auferebatur, species. Ii partim saucijs, partim manibus, Et cruribus, ceterisq; membris truncatis; partim plane exanimati, cum praeter oculos hominum, tota urbe, omnibus horis, ferrentur; deformem, in primisq; miserabilem aspectum faciebant. At Morilius, Et Caraciolus, item Suessanus, ac complu-

complures praeterea ex Nobilitate, tota urbe discurrentes, ciues ad operem ferendam, atq; ad succedendum pratio hortari: quaeq; pratio usui essent, hastas, gladios, scopulos, globulos, puluerem, cibaria impigre suggerere. Cumq; ad uesperum pugnatum esset; nox certamen ingentibus animis accensum diremit. Postero die praelium repetitum; tribusq; urbis partibus, ad eundem modum arcibus tormenta continenter dislodentibus, magnaq; detrimenta inferentibus, acriter pugnatum. Hispani loca urbis arcis circuifusa tenebant: quae munitionibus à reliqua urbe se iunxerant. Ad eas munitiones quotidie pugnabatur. Insignisq; illo Et subsequentibus pralijs, Camilli Monecae uirtus Et audacia fuit. Is, eo die, munitione quadam expugnata, Hispanos urgendo, ad Incoronatae pedem referre coegit. Horum tumultum fama diulgata, complures ex finitimis populis ciuitati subsidio ueniebant: eorumq; undiq; confluentum multitudine urbs quotidie complebatur. Praeterea tria millia peditum, ad urbis

## TV MVL TVS

urbis defensionem scribi decreta. Igitur omnibus illis diebus, quibus ab undecimo calend. Augusti, ad tertio non. eiusdem mensis, quotidie, multis in urbis locis praelatum est: maxime miserabilis fuit ciuitatis Neapolitanae status, & aspectus. Innumerabilibus enim malis eodem tempore conflictabatur: continentibus omnium dierum praeliis, bombardarum ictibus, & edificiorum ruinis, atq; incendiis, ciuium cedibus, direptionis metu, optimatum discordiis, repentinis ac quotidianis ferè inter ipsos Neapolitanos iurgiis, ac turbis, mutuis suspicionibus, ac nequid esset in calamitatibus reliquum, quod ad miseram urbem non perueniret; ciuium domus eorum, qui cum Petro erant, ab ipsis ciuibus diripiebantur: neq; ulla tantis malis remedij ratio inibatur. quamvis Nicolaus Maria Caraciolus, Catinae Episcopus, nonnulliq; alii in arcem ad Petrum itantes, saepè de rebus componendis egissent; rogassentq; ut iracundia finem faceret: atq; Hispanos dimitteret; parceretq; praeclarissimae urbi,

quam

## NEAPOLITANI 69

quam ipse patriam appellare soleret: quāq; a se nouis atq; amplis uiiis, magnificisq; aedificiis exornatam, è foribus extrafuisse, & in augustiorem speciem redessisse; eam nunc ruinis & incendiis ne pergeret deformare. Igitur animis tanta malorum uifractis, magna ex urbe omnium generum, atq; aetatum fugae siebant; Magistratus frustra homines retinente. tantaq; erat omnibus horis urbe excedentium multitudine; ut praefugiendi studio, mutuo se prementes, cum quisq; sibi primum fugae locum peteret; magnas turbas apud portas urbis excitarent. Neq; tamē fuga saluti; sed quā plurimis maiori calamitatibus. a celocibus. n. Hispanorum cōplures ex ijs, qui mari exibant, intercepti; sub arcem ducti, se redimere cogebantur. Summa igitur erat tota urbe solitudo, ac squalor: ingēsq; moestitia & omnium rerum desperatio. Per ea tempora, Gonsalius à Petro missus, cum iter pracepisset; prior ad Caesarē peruenit: pote stateq; dicēdi facta, ita Caesarē est allocutus.

Optaret Petrus ne causa sua cum tua Ca  
sar

## TVMVLTVS

far esset coniuncta, neque Neapolitani in his, ut ipsi uocant, tumultibus; ut re uera appellandi sunt, perfidiae criminibus; multò magis tuam, & imperij maiestatem uiolassent; quam ipsum oppugnassent: ne in Petro omni culpā liberando, non tam hominis innocentiam secutus uideri posse; quam quod non aliter iniurias tuas, cum illius causa cōiectas posse ulcisci. Nulla enim alia re nititur Petrus, quam ueritate: cui in tua uirtute, atq; constantia firmissimum semper praesidium fuit aduersus maleuolum calumnias; eorum praesertim, qui tantas capitalis odij causas aduersus accusatum habeant. Nec dubitat Petrus, quin Neapolitani ad non ferendam peccandi audaciam, projectam quoq; mentiendi impudentiam sint addituri; ac pro eo, ut facinora sua oratione conentur defendere (quanquam quam ego defensionem nomino; aut quae potest in tam manifestis parricidiis ulla omnino esse defensio?) sed tamen illos putat Petrus pro eo, ut se purgent, ac ueniam supplices petant; ipsum ultrò accusa-

## NEAPOLITANI 70

cusaturos, culpamq; suam ad ipsum transferre conatueros. Qui etiam, cum ea, quae in te, & nominis tui maiestatem admiserint, longè graviora sint, ac maioribus suppliciis punienda, quam ea que nunc patiuntur; tamen tanquam hæc indignis accidat, ita miseras suas flebiliter exponent, earumq; deploratione ad inuidiam Petri abusentur. Quibus tamen commoueri non debes Caesar; neq; indignum putare, qui ipsi priores hostilia fecerint, eos hostilia pati. Illud autem laetatur Petrus, quod cum non minor in te sit mansuetudo, quam iustitia, si Neapolitani crimina non inficiantes, ad genua prouoluti, tuam in ignoscendo clementiam implorarent, periculum esset ne potiores apud te essent miserorum lamentabiles fletus, quam immanium delictorum stimuli. ita eorum impunitatem facile auferret. Nunc quoniam (quae est hominum superbia) se demissuri non sunt; liberius erit tibi & sincerius iudicium tuū: neq; seueritatis tuae aculei, hominum cōtumacia excitati, eorundem supplicibus precibus hebetabuntur.

tur. Noti sunt Caesar tibi Neapolitanorum inflati, ac tumidi spiritus: quos cum aliusset nimia superiorum Vicariorum lenitas, eò arrogantiae processerant; ut iam ferri non possent. non illi imperijs parere; in humiles & tenues superbè & libidinosè consulere; nullae illis leges sanctae; nullus esse iudiciorum metus. Ut necessario Petro summa illa severitas fuerit suscipienda, te Caesar approbante: qua hominum audaciā & arrogantiam tandem fregit; illosq; ad officium & ad aequabilem uitae rationem reuocavit. idq; cum magna ipsorum utilitate. quippe qui urbem, ac regnum sceleurum, ac facinorum antea officinam, latrociniorumq; receptaculum, iustitiae, & honestatis domicilium fecerit. Ceterum tanta est in Neapolitanis ingenii peruersitas; ut nullam Petrus ab hominibus, quos ab interitu sua uirtute seruauit, pro tanto beneficio non modo gratiam inierit; sed capitale illorum in se odium cōmouerit. quippe qui se sese infinita illa omnium rerum licentia priuatos aegrè ferant. Quod igitur illorum

lorum animus iam diu parturiebat, id tandem peperit: quiq; primus locus illis datus est odio expromendi, eum non pretermiserunt; atq; atrocem hanc seditionem in illum excitarnunt. In qua re plebs naturali mobilitati suae affinis fuit. Consilia enim cum illis ipsis perpetuis inimicis suis cōsociauit, è quorum faucibus sese à Petro erexitam semper praesetulit: cum Petrum plebis Neapolitanae parentem, ac libertatis columen, diuinis penè laudibus in coelum ferret. tanta est in uulgo leuitas; tamq; male apud ingratos homines beneficia ponuntur. Neq; uero Inquisitionis nomine Neapolitanorum causa subleuatur. Nam primum non intelligo, quod tantum malum habeat Inquisitio, ut in ea fugienda ad omnia extrema liceat descendere, ac legum uincula perfringere, maiestatemq; imperii contemnere, & uiolare. Delicata mehercule sunt Neapolitanorum ingenia, si quod caeterae omnes nationes, atq; urbes sine retractatione accipiunt; idq; cum magna ipsarū utilitate; ipsi soli ferre indignantur.

tur. Deinde Petrus sese Inquisitionem pos-  
sitrūm nunquam est aperte professus; neq;  
asperè, aut pro imperio cum Neapolitanis  
egit; sed leniter reducendo, hominibus per-  
suadere nitebatur, ut aliqua ratio iniret  
impietatis in dies magis grassantis cohiben-  
dae, heresumq; tollendarum. Quò maior est  
eorum, qui cum imperio sunt, lenitas; eò cō-  
tumacia dicto non abundantum magis cu-  
mulatur. Verùm finge Petrum aperte p̄  
se tulisse, sibi in animo esse Inquisitionem  
instituere, continuò ne uerum fuit, Nea-  
politanos in resistendo tantam adhibere  
contumaciam, atq; imperium contemne-  
re? aperteq; Petro denuntiare; sese omni-  
ratione restituros, remq; si opus sit, ad  
manus reuocaturos? Hoc cineferendum est  
Caesar? cum praesertim, si rogando & per-  
suadendo Petrum de sententia deducere nō  
possent; expedita esset hominibus via (quae  
bonis, & pacatis, ac sui Regis obedientibus  
populis semper patuit) te Caesar appellādi;  
atq; in tuam iustitiam, & aequitatem per-  
fugiendi. Iam post hac subditi tui in impe-  
riis

riis accipiēdis, aut recusandis, non tuam,  
aut Magistratum tuorum uoluntatē spe-  
ctabunt; sed libidine sua ferentur: ipsiq; ar-  
bitri, & moderatores eorum, quae iubebis,  
de iis pro uoluntate sua statuent. Ita homi-  
nes cū imperio ad illos mittere posthac desi-  
nas, licebit. Si hoc Caesar, non est imperium  
perfringere, maiestatem tuam spernere, ac  
per causam Inquisitionis detrectanda, lon-  
gè aliud spectare; nescio quod tandem faci-  
nus eo nomine sit appellandum. Verùm age,  
Petrus cum societatem plebis cum Nobili-  
tate iunctam accepisset, resq; ad arma, &  
seditionem spectaret; ut animorum motus  
sedaret, atq; urbē pacaret, de iure suo de-  
cessit: ac quanquam iracundia ob illorum  
contumaciam prouectus, inter uerborum  
contentionem proiecisset, sese illis inuitis, si  
libuisset, Inquisitionis tribunal in medio fo-  
ro constituturum; tamen hominibus morē-  
gerere in animum induxit: promisitq; neq;  
se Inquisitionem constituturum, neq; ab alio  
constitui passurum: quae summa Petri hu-  
manitas, ac lenitas, non modò animos de-  
buit

buit incitatos mitigare; sed eos ad uirtutem modestia aemulandam inuitare; di-  
Etoq; impensis audientes facere. Quòd si  
motus sola Inquisitio excitarat; cur nō cau-  
sa sublata, penitus confederunt? atq; adeò  
cur lōge maiores exarserūt? Etenim Nea-  
politani hac ueluti de Petro uictoria parta;  
tātos sibi spiritus subito sumpserunt; ut per-  
inde quasi de Petro uellet triumphare, nulla iā  
i modestia, nullo pudore, nullo legū metu aut  
imperij tui maiestate continerentur. Qua-  
cunque igitur leuisima de causa tumultus  
quotidie excitabantur: cum fontes compre-  
hensos de manu apparitorum luce, ac palā  
eriperent: eoq; furoris processerat; ut qua-  
dam die in publico Prefectum iurisdictionis  
circūstiterint; neq; prius dimiserint,  
quam turbulenti quendam ingenij, & sedi-  
tiosum infima sortis hominem, quem in uin-  
culis habebat, sibi restitueret. Cuiq; paucis  
post diebus, Casar Mormilius, inquieti in-  
genij nř, qui sese in his tumultibus exci-  
tandis principem palā semper professus  
esset, in aedes publicas iurisdictionis eius-  
dem

dem Praefecti uocatu uenisset; tantus sus-  
bito cōcurrus hominum Caesarem minaci-  
ter poscentium ad aedes publicas est factus;  
ut hominem Praefectus ne inclemēter qui-  
dem appellatum euēstigio dimittere coactus  
sit. Quae intolerabilis audacia, ac tanta  
alia super alia cumulata facinora, nisi con-  
sopitam Petri uirtutem tandem excitas-  
sent ad tantam licentiam aliquo frano coer-  
cendam, eō processerat; ut nihil iam esset,  
quòd Neapolii, aut Vicarius tuus, aut ul-  
lus omnino magistratus existeret: sed om-  
nium rerum gubernatio Neapolitanorum  
ipsorum libidini esset permittenda. Nece-  
ssariā igitur severitatem adhibuit: ac tres  
adolescentes, qui comprehensum hominem,  
cum in carcerem duceretur, ex apparito-  
rum manibus per uim, & audaciam eri-  
puerant; morte multauit: ut exemplo ad  
speciem terribili, ad rē salubri, atq; in eius-  
modi motibus: ecessario, iureq; usurpari so-  
lito, reliquos à maleficiis & peccandi licen-  
tia deterreret; ac ciuitatem pacaret. Quod  
consilium, non modo Petro non proceſſit,

T

uerum

uerum etiam causam Neapolitanis prae-  
buit, quam quaeſierant; ut non iam per-  
plexè & per ambages, ſed apertè à te defice-  
rent; diuq; in te, ac tuos conceptum odium  
effunderent. Igitur armis sumptis, milites  
tuos praefidiarios interfecerunt: ipſumq;  
Petrum, in quo imperij tui maiestas la-  
datur; arce inclusum, & obſeffum quotidie op-  
pugnatum ueniuunt. Nihil eſt, quod quiſ-  
quam tantorum facinorum atrocitatem  
uerbis eleuare conetur; neq; apertum ma-  
iestatis crimen alio nomine appellare. Neq;  
attinet uerbis inficiari; quod factis conſ-  
tearis. Auobis enim, inquit Petrus, Nea-  
polani quero, utrum iure, an iniuria ado-  
lescentes suppicio affecerim? ſi iure: arma  
in me; atq; adeò in ipsum Caſarem fine ſcele-  
re, ac perfidia ſumere non potuisti: ſi iniu-  
ria: quis ea de re adhuc iudicium tulit?  
Quis uos in me iudices cōſtituit? aut qua-  
tādem lege poenam maleficiorum à me re-  
petere potestis? cur per legatos ueſtros no-  
men meuum ad Caſarem de eo crimine non  
detulistiſtis, quemadmodum nūc per eosdem  
lega-

legatos uos purgatum, & me accusatum ue-  
nitis? Atq; adeò, cur ad Caſarem legatos  
mittitis, ſi (quod re declarastiſtis) ueſtrum  
eſt punire delicta, quae Neapoli admit-  
tuntur? Atq; etiam Neapolitani cum ho-  
ſtilia in te Caſar apertè ſumperint arma;  
tanta tamen ſunt impudentia, ut grauitati  
tuae ultrò illudant, uexillis tuis extollen-  
dis, nomineq; tuo ſubiiciendo; tuamq; uelut  
tipuerilem inſcritam ludibrio habeat; per-  
inde quaſi uerba magis, quam facta ſpectan-  
da ſint, cumq; ſeipſi tot obſtrinxerint parri-  
cidiis; ultrò etiam (ſi Diis placet) Petruſ  
accusatum ueniuunt. Iſ tamen, ut initio di-  
xi, minus de ſe laborat; quem perpetuus  
innocent; ſimē actae uitae tenor omni libe-  
ret ſuſpicio: tua, & imperij maiestas ho-  
minem ſolicitum habet. Quaſi tibi tantae  
curae ſemper fuit; ut pro illa aduersus mul-  
tò maximam Germaniae partem (qua pro-  
uincia nulla toto orbe terrarum bellicofior,  
aut opulentior eſt, aut ſeruitutis impatiens  
tior) bellum periculofiſſimum uſcipere non  
dubitariſtis; quanto minus haec tibi negli-

## TVMVLTVS

genda non sunt in Neapolitanis? quos (ne quid grauius in eos dicam) semper extera gentes obnoxio imperio deuinctos habuerint. Quod si te precibus hominum animis à te alienissimis, per mollitatem fleti sines; quid aliud futurum est, quam ut soluta severa illa disciplina, qua una Neapolitanorum superbia & fastus frangendus est; auctoritatem & obedientiam in eo regno amittas; quod maiores tui pacatum tibi, dictoq; audientissimum sua uirtute reliquerunt? Hac oratione Caesar in Neapolitanos haud mediocriter irritatus est; nondum legatis eorum auditis. qui cum sero Norimbergam, ubi tum erat Caesar, peruenisset, quod utriq; in itinere aliquandiu subsistendi morbus causa fuisset; se audiiri à Caesare petunt. quam rem cum multis uis, saepè tentassent, tamen, quod Caesaris aures cùm literis Vicarij, tum oratione Gonsalij, ipsorum criminibus occupatae essent; impetrare primo non potuerint: cum illis responsum esset; satis esse, si eos, ad quos Caesar illos delegasset; causam suam

## NEAPOLITANI 75

suam docerent: neq; enim Caesari, in tantis occupationibus esse opera legationes audire. Ita coacti sunt coram Atrebate, & Figueroa causam suam agere: ac defensiones suas scripto edere. quibus lectis, haud uisi sunt commissi Neapolitani, ut perduellionum loco haberentur: resq; ad tumultuum & seditionum, non ad laesae maiestatis interpretationem est reuocata: legatisq; triduo post reuocatis, decretum Caesaris scriptum traditum est; cuius erat summa. Ex templo ab armis Neapoli discederetur: ac sine retractatione Neapolitani obedientiam, quā deberent, Vicario praferrent. Imperatum deinde est Salernitano, ne à Caesare discederet; Sangrio, ut ex templo Neapolim uersus una cum Gonsalio iter caperet, neq; ab eo unquam discederet. si imperata neglexissent: capitalem fraudefore. Salernitanus sese in imperio futurum respondit: equoq; animo decretum accipere; dum Caesar ueritate exploratius cognita, sententiam mutet. Sangrius uero, sese nisi facultate Caesaris alloquendi facta

## TVMVLTVS

facta, omnino discessurum negare: neq; enim  
eam esse fidelissimae, & nobilissimae ciui-  
tatis dignitatem; quae ab aditu Principis  
sui debeat excludi. cum praeſertim non be-  
neſcium, ſed ius petiū ueniant: neq; eſſe  
Caefaris aequitatis, tam iuſta poſtulata ab  
eo non impetrari. Proinde, poſſe illos quidē  
ſe uiuetum Neapolim mittere, aut etiam  
morte multare, ſi ita libeat; ſua uero uolu-  
tate, nunquam ſe, niſi in conſpectum Caefar-  
is uenerit, discessurum. Permoti ſunt hac  
oratione animi. Ita poſtero die Sangrius  
ad Caefarem introductus, talē habuit orationem.  
Deo immortali gratias ago Ca-  
ſar, tui conſpectus facultatem mihi tandem  
factam tuāq; aequitatē omnia impedimen-  
ta ſuperaffe. Igitur non ita omnes ſuperos à  
cauſa noſtra auerſos poſthac exiſtimabo:  
qui ſi nullam habemus miſeriarum alleua-  
tionem, aut ſalutis ſpem; ſaltem interitus  
noſtri corām te Caefar deplorandi (quod  
unum exitijs ſolatiuum reliquum eſt) facul-  
tate non ſimus orbati. Cuius tamen rei ma-  
gna me ſpes ſemper tenuit. Nam quanquā  
ſciebam

## NEAPOLITANI 76

ſciebam tantas eſſe Petri opes ac potētiam,  
ut nobis nullo modo par eſſet cum illo conten-  
tio; nunquam tamen priuati tantum illum  
apud tuos gratia ualere, ut etiam nos ab  
aditu tuo excluderet, niſi q; durum, & à  
tua iuſtitia alienum erat Caefar, quod ne-  
mini quāuis ſcelerato & perditō unquam  
eſt negatum, ut eius defenſio audiretur; id  
à te nobilissimā & fidelissimam urbem tuā  
non impetrare. Atq; ego Petri prudentiam,  
& ingenium hac in re uehementer requiro;  
qui Neapoli primum ne hac legatio ad te  
decerneretur, tāta ope pugnarit; & heic ne  
ea audiretur tanta cūm ſua, tūm amicorū  
gratia, quae plusquam modica eſt, praepa-  
ravit. Quod totum contra facere debuit.  
nam ſi ueritate cauſa illius nititur; ac ſi ho-  
rum tumultuum culpa penes nos eſſe de-  
monſtrare poſſe ſperat; quaē eius rei uia erat  
expeditiſſima, ab ea non tantopere debuit  
declinare. An non intelligit uir eo ingenio,  
nūquā apud homines, praeſertim graues,  
qualiſtu es Caefar, ueritatem ſatis lique-  
re; neq; uerba, quāuis uerisimilia, fidē pla-  
nē habe-

nè habere; nisi qua contrà ex altera parte  
afferantur, prius cognoscantur; controuer-  
seq̄ rei ueritas præsentibus reis, orationi-  
bus inter se contrarijs, iudice disceptatore  
eluceat. quod quoniam ille effugere tam  
impensè studuit; causam ipse suam planè  
damnauit: qui illud certamen detrectarit,  
quo uno ueritas à calumnij discerni po-  
test: quoq̄ astu se criminum uim subterfu-  
gere posse sperauit; eo se planè ipse conui-  
cit. Quāquā Caesar, legatos ad te mittendi  
non una causa fuerunt tumultus nuper  
exciti; neq̄, hoc nouum est Neapolitano-  
rum consilium, sed peruetus, uarijs rationi-  
bus à Petro semper impeditum. quod ne  
nunc quidem ad effectum adduxissent, ne  
hominis iracundiam sibi magis irritarent;  
ni summae temporum angustiae, rerumq̄  
asperitates eos coegissent, salutem suam qui  
buscunq̄ rebus anteferre. Causa igitur le-  
gatos ad te Caesar decernendi uetus illa  
fuit; ut esset aliquis apud te Neapolitano-  
rum nomine, quicum de rebus illius re-  
gni agere in loco posset: ut quae officia ē  
obsequia

obsequia tibi subinde multa alacriter pra-  
stamus, eatu à nobis potius, quam à Petro,  
aut à quoquam ministro tuo recognoscere s: gratiamq̄ eorum, si qua est, fidelium subdi-  
torum effusæ in te uoluntati, ē propensi  
studiis potius, quam ministrorum operæ,  
aut diligentiae deberes. quoniam sentire  
coepimus, Petrum de officiis in te nostris, ad  
tam altum apud te auctoritatis, ē am-  
plitudinis gradum peruenisse, nulla no-  
stri, ex quibus ille creuit, habita ratio-  
ne. Caeterum quoniam tibi aliter pla-  
cket Caesar; mihiq̄ imperatum est, ut ex-  
templo Neapolim reuertar; parebo impe-  
rio. illud prius pro ea quam tibi debeo  
pietate, Deos hominesq̄ testatus: Neapo-  
litanos, quoniam nullam esse apud te im-  
pensorum officiorum gratiam intelligent;  
ac ne ea cognosci quidem, ut ab se pro-  
fecta; coactos posthac fore sese totos sine  
ullo commodorum, aut maiestatis tuae re-  
spectu, ad magistratum, quos mittes, libi-  
dines conformare: neq̄, illos iā pro ministris  
tuis, sed pro suis Regibus habituros. quae

V res

## TVMVLTVS

res quam multa ē regno Neapolitano, ē tibi detrimenta allatura sit; malo in cogitatione tua relinquere, quam in oratione mea ponere. Illud te, pro tua humanitate rogatum uolo Caesar, ne me audire graueris breve hoc horā curriculūm, dum patriam meā purgo à causa horum motuum, atq; horum malorum, quae per hos dies urbem nostrā miserabilem in modum lacerarunt. In qua re illud me haud quaquam mouet; quod Gonsalius aures tuas criminibus nostris implerit. Tantum enim compertum habemus ī te animi esse, ac roboris; ut de tātare, nisi causa ex utraq; parte audita, praeceps facturus sis iudicium. Atq; utinam adfesset Gonsalius: multò facilior esset nostra causa. Nam mihi de singulis rebus rogati uera (sat scio) pro eius fide responderet. ita ex ilius met confessione ueritatem cognosceres. Nunc quoniā ille congressum uitauit; quippe ex quo inferiorem sese discessurum inteligeret; dabo operam, ut res quemamodum gestae sint planè cognoscas. Hic Caesar Sangrium interfatus; nihil esse ait, quod ille

## NEAPOLITANI 78

ille plura oratione persequatur: sēcē enim ex scripto rē cognouisse; iāq; decreuisse quid fieri placeat: ac stare sententiā; nec militari posse. Proinde reuertatur, Ciuitatiq; persuadeat, ut imperata faciat; armisq; positis, Vicario dicto audiēs sit: bonoq; animo suis uerbis Neapolitanos esse iubeat. sēcē enim de illorum fide, ac propenso studio omnibus locis perspecto, nunquam dubitasse: neq; malam de illis opinionem unquam imbribiturum: eorum commoda ē incolumentem sibi magnae curae fore: breuiq; ciuitatis quieti, ē tranquillitati se consulturum. Ita legatum, benigne appellatum, gratiasq; agentem ob tam mite responsū, dimittit. Caeterum quoniam defensionem legati, ut supra diximus, scriptam Caesarianis tradiderunt, quam non licuit oratione complecti; cuius exemplum mihi ostensum est cum Neapolim accessissim, rei diligenterius cognoscendae causa; ea non mihi prætermittenda uisa est: quō causa utring; audita, legentibus exploratiūs sit iudicium. rēq; sic exponemus; quasi Neapolitani Ca-

sarem praesentem alloquantur. Ad ceteras calamitates, quas passi sumus, ac nūc cum maximè miseri patimur, ille etiam cumulus accedit Caesar; ut Vicarius tuus Petrus, qui inaudita crudelitatis exēpla in nos per summam iniuriam & immanitatem edidit; pro eo ut sese purget, ac meritas poenas deprecetur, nos ultrò apud te criminibus insectetur; proditionisq; ac perfidiae reos faciat: illud fortasse existimans, sese causam suam aliqua ex parte subleuat, si studium, & operam nostram à se accusando ad nos ipsos defendendos traduxerit. Quae quantum hominem fefellerit opinio, mox apparebit. Neq; enim defensio nostra ab illius accusatione potest esse disuncta; neq; ueritas quocunq; orationis genere exponatur, minus elucebit. Illud igitur primum pro cause nostrae fundamento accipimus Caesar, quo nullum esse potest firmius; ipsiusmet Petri confessionem, quam ipsius chirographo consignatam habemus; omnium horum malorum causam fuisse Inquisitionem. Heic homo

homo suamet confessione manifestò teneatur: quippe qui ipse Inquisitionis auctor fuerit; dum uel illam instituere studet; uel sermones de ea indies percrebescentes non prohibendo, alit. quam rem praesertim nos tā saepè, tantisq; contentionibus ab illo efflagitauerimus; cum denuntiaremus, ac testaremur, quam multarum turbationum, ac malorum causa futuri essent iij rūores. Quòd si ille quaecunq; uoluit se semper Neapoli, uel in uitis nobis, effecisse gloriari solet; quanto hoc ei facilius fuit, omnium ordinum, atq; atatum studiis & uoluntatibus cum illo coniunctis? Neq; nos in obſistendo lenius, ut isti uolunt, aut moderatius agere potuimus; teq; Caesar appellare, Inquisitionemq; à te deprecari; nam periculum imminebat, resq; indies magis urgebat: cum praesertim Petrus quadam die Magistratui ciuitatis palam affimarit, se se nobis in uitis Inquisitionem constituturum. tuq; longissime aberas Caesar, tā a belli mole implicatus; ut neq; te adire interea possemus; neq; si maxime adiſsemus, oī satis

## TV MVL TV S

satis habuisses in tanto rerum discrimine ad legationes audiendas, controuersiasq; disceptandas: quam rem uix nunc impretrare potuimus bello confecto, Neapolitanq; urbe in extremū discrimen adducta. Cumq; Inquisitionis nomen Neapolitano populo non modo odio & acerbitati, sed etiā mortis sit; omniq; dilatio periculosissima es- set; in eum profectò locum adduci eramus, in quo non leges modo, uerū etiam natura ipsa omnem salutis expedienda rationem honestam facit. Neq; tamen nos logius pro- tulit animorum concitatio, quam ut consiliis, & studiis plebis cum Nobilitate conso- ciatis, obedientiam tibi debitam clarissima uoce profitentes, insigniaq; tua proferentes, paratos nos esse praeferremus omnes acer- bitates subire, quin etiam mortem ipsam oppetere potius, quam abominandum iugū ceruicibus nostris imponi pateremur. Nul- la in re imperij maiestas per quenquā uiola ta est: nullus, ne minimus quidē apparitor attactus: quin etiam omnia nostra studia ad Magistratus tuos delata: atq; etiā ma- lefici

lefici per nos comprehensi, & indicibus tra- diti. Ubi est illa, quam tantopere iactari, atq; amplificari audio, projecta Neapolita- norum contumacia? atq; adeò quae in tan- tarerum perturbatione, tataq; animorum commotione maior excogitari potest mode- ratio? Igitur Petrus, cum hac uia consilia parum procederent; pollicitus est tandem, neq; se Inquisitionē constituturū, neq; quē quam toto suo magistratu cōstituere passu- rū. Si in Inquisitionis depraecandae si- mulatione, longè aliud, ut isti nos crimina- ri solent, latebat; si in societate iungenda logè aliud spectauimus; molesta profectò no- bis fuisse haec Petrifacilitas, & benigni- tas: quae nobis causam tumultuum praeci- cidebat, namq; sceleratorum consiliorum, ut isti uocant, ad exitum perducendorum obsepiebat. Velim Caesar tum adfuisses, profectò admiratus essem omnium exultan- tem, ac superfundenter se laetitiam: cognou- isses, quibus praedicationibus, quantis no- luntatum significationibus hoc beneficium Petri simis complexi; quam amplis uer- biss

## TV MVLTVS

bis illi publicè gratias egerimus ; cum illum parentem, & seruatorem nostrum plausibus & acclamationibus salutaremus : ac cum diuinis propè laudibus hominis virtutem & humanitatem coniungeremus. Non igitur beneficium Petri ullam, ut isti calumniantur, arrogantiam nostram prouexit ; sed contrà studia ad demissius & impensis parendum accedit. Iam uero quae postea consequitae sunt nouorum motuum causa, nobis nullo modo assignandae sunt ; sed illi ipsi Petro : qui si uerè cogitationem de Inquisitione prorsus abiecerat ; quid ita ab iis, qui paulo apertius illam detestati fuerant ; pauloq; uehementius in causa uersati, poenas per iudicium persequi instituit ? animis praesertim à recentibus motibus nondum plane sedatis ; idq; omni ciuitate constantissime contranitente : quae saepius mero illum publicè ab ea mente, atq; incoepio, omnibus precibus deducere conata est. Aduersus quae omnia ille cum tam obstinato animo fuerit ; neq; in ulla alia criminibus homines uocarentur, quam quòde eorum

sermones

## NEAPOLITANI 81

sermones de Vicario liberiores fuissent, tumultusq; concitassent, quid aliud suspicari debuimus, quam id spectare Petrum, ut hanc nouam uiam, quoniam prima parum processisset ; ad diu concocta de Inquisitione consilia sibi expediret ? Quod si priores motus uenia digni sunt, longe magis probandi sunt hi posteriores, quibus eidem causae resistebatur, asperioribus uis tentatae. Deinde cum eadem esset omnium Neapolitanorum causa, quippe qui Inquisitionem apertè omnes detestati simus, ac societati nomina dederimus ; quomodo supplicia, ad quae non nullos in praesentia rapi uideamus, non pro se quisq; ad se, eodem noxiū criminē peruentura suspicaretur ? Iam uero, si Inquisitio Neapolitanis induerat arma, ut ipse Petrus fatetur ; quomodo putabat in iis, quae illam necessariò consequuntur, eosdem quieturos, atq; adeò non multò acris exarsuros, quanto grauius erat poenis quam uerbis agere ? Postremò ciuitas suam ipsa causam dannasset, si à quibus

X causa

## TV MVL TVS

causa ipsa acriter, ac liberè fuisse defensa; eos poena affici passa esset. Tantis igitur acerbitatibus subacta ciuitas, cum legatos ad te decerneret, longum esset Caesar dicere, quām eare Petrus sit percussus; quibus ille artibus, quibus contentionibus, quibus allegationibus, quibus postremò dimicacionibus rem impedire conatus sit: quām omnes in ea re auctoritatis, & potentiae suaē neruos intenderit. Ut etiam accersitis centurionibus populi, multaq; de sua perpetua in Neapolitanum populum benevolentia praefatus, chirographum ediderit; quo nō modo Inquisitionem in perpetuum tollebat; sed etiam omnia delicta, omnemq; noxam, Inquisitionis causa commeritam condonabat: quò populum ab Nobilitate abduceret. Aduersus tantam contentionem cum ciuitas in incepto perstitisset; legatosq; tandem decreuisset; tum uero Petrus, cui nullum consilium processisset, in rabiem uersus (dat enim animum ad liberè loquendum tanti facinoris immanitas) tres miseros adolescentes apprimē nobiles, uix dum pubertatis

tis

## NEAPOLITANI 82

tis annos ingressos nonnullis ante diebus cōprehensos per causam, quod infimae quidam sortis homo, qui ob debitā per exiguae pecuniam practer eorum oculos in carcere ducebatur, ex apparitorum manibus illis (ut aiunt) adiuuantibus esset elapsus, qua causa semper leuiſima habita est, eos igitur adolescentes ante arcem productos ab aethiope crudelissime iugulari fecit: iugulosq; ueluti imperij proditores per terrā trahi. Quæ ex omni seculorum memoria in nulla barbaria audita crudelitas; quæ foeditissimi spectaculi deformitas si nos ad id attraxisset, à quo semper natura & uoluntate remotissimi fuimus, quis tandem iusto dolori non ignoscere? cum praesertim Petrus nullo titulo tantae crudelitatis facinus posset uelare. Nam si sedādorum tumultum causam praetexit; hoccine fuit tumultus sedare, an multo magis inflammare? Tu, cum tantæ iniuriae, tantæq; crudelitatis facinus in oculis nobilissimi populi edas, animis praesertim ob recentes dimicationes cōmotis et exacerbatis: quæq;

X 2 popu-

## TVMVLTVS

populum tantum animi habuisse expertus  
fis; ut societate fancita cupiditatibus tuis  
palam ire obuiam non dabitarit; motus te  
sedaturum, ac non potius ad perniciosa  
seditionem irritaturum sperasti? cum  
praesertim multis locis uenia per leges po-  
pulis detur, si malis uicti nimisq; iniurijs,  
asperitatibus subacti arma in Ma-  
gistratum conuertant; neque ab eius san-  
guine manus abstineant. Et tamen tan-  
ta fuit Caesar Neapolitanorum modera-  
tio; tantus imperij tui respectus, ut cum  
postero die Petrus per Vrbem equitaret;  
populusq; arma sumplisset; ac societatem  
omnibus solennibus renouasset; in oculisq;  
eius praeterueberetur is à quo tam insigni-  
tamq; execrabi iniuria esset affectus, re-  
centi crudelitatis memoria animos stimu-  
lante, nihil grauius admiserit: sed iniuri-  
as suas, quarum poenas à noxio homine  
sumere, & iure poterat, & nemo prohi-  
bebat, tibi puniendas referuauit. Et ad-  
huc contumaces Neapolitanos, ac super-  
bos non pudet appellare? neq; quo nomine  
eius

## NEAPOLITANI 83

eius temeritas sit appellanda cogitat po-  
tius; qui quantum in illo fuit, maiesta-  
tem tuam in persona sua violandam obie-  
cit? Iam uero seditionis, quae postea ca-  
su excitata est; & certaminum quae in-  
ter populum Neapolitanum & praefidia-  
rios tuos commissa sunt, nulla, si quis ue-  
re rem existimare uelit, in nobis culpa est.  
Qui si iniurias nostras armis ulcisci in  
animo habuissimus: nunquam eam facul-  
tatem pratermissimus, quam Petrus ipse  
in publicum eo tempore prodiēs expediti-  
simā nobis praebuit. cum praesertim non  
minore scelere (si scelus ullum in re tam iu-  
sta est ponendū) praefidiarij tui, quam Ma-  
gistratus violentur: in utrisque enim no-  
minus tui maiestas laeditur: atq; adeo, cum  
magis ignoscendum esset iusto dolori, si ar-  
ma uertiſſimus in eum potius, à quo tam  
grauem plagā accepisſimus, quam in eos, à  
quibus nihil laesiſſimus. Illud unū eximia  
Neapolitanorum moderationis, incredibi-  
lisq; in te obſeruantiae signū praetermitte-  
re non possumus. Caesar, quod cum Neapoli-  
tanta

## T U M V L T U S

tanta sit omnium rerum collusio; tantaq;  
exulum multitudo in eam urbem conflu-  
xerit; pleniq; sint carceres obaeratorum,  
ac maleficorum, capitalia etiam ausorum;  
qui omnes aut propinquitate, aut aliqua  
necessitudine, aut etiam noxae societate  
exules attingant, non modo carceres non  
sint refracti (quod primum fere esse solet se-  
ditionum opus), sed ne aedes quidem iuris-  
dictionis à quoquam attactae. Habet Ca-  
esar uoluntatem in te, ac fidelitatem Nea-  
politanorum tuorum multis rebus perspe-  
ctam: contra Petri iniurias, quae nulla ho-  
nesta ad speciem re possint uelari. Quid re-  
liquum est, nisi ut Deum immortalem pre-  
cemur, ut tibi eam mentem det, qua ca-  
lamitates miserae Ciuitatis tandem respi-  
cias? quae cum sese è tātis miserijs auctore  
de medio tollēdo posset eripere, iureq; posset,  
tāta tamē in te est pietate, tamq; sancte no-  
mē tuū colit, ut illud etiā in atrocissimo ho-  
ste suo uenerata sit. quæ nūc misera iussa Pe-  
tri, ac uoluntate hostile in modum direpta,  
cōtinentibus bombardarum iectibus ut tui  
nominis

## NEAPOLITANI 84

nominis hostis uerberata, magnaq; ex par-  
te diruta ac deformata, habitatoribus pe-  
nē uacua, ab omnium ope deserta, omnibus  
contumeliis iactata, iniuriis agitata, ma-  
lis lacerata, omnia deniq;, quae captarum  
urbium extrema esse solent, perpessa, in tua  
fidem, misericordiam, iustitiam configit:  
à qua una malorum finem expectat, cum  
illorum poena, qui tantorum malorum ob-  
cupiditates, ac libidines suas fuerunt au-  
tores. At Sangrius Neapolim cū uenif-  
set; Magistratusq; in aedem diui Lauren-  
tij conuenisset; plebs excita est: ex omni-  
busq; urbis partibus, pluribusq; agminibus  
ad templum concursus factus: momentoq;  
temporis uestibulum, & circuictae tem-  
plo plateae armatoriū plena fuerunt. Cumq;  
Sangrius imperata Caesaris exponere coe-  
pisset; armaq; deponenda, ac sub Petri obe-  
dientiam redeundum dixisset; isq; sermo in  
uulgu manasset; rumor primum, ac fre-  
mitus indignantium tota concione perua-  
sit: qui mox in furiales clamores erupit; cū  
omnes undiq; uociferarentur, Nobilita-  
tem

tem cum communibus inimicis conspirasse; seq̄ ab illis, quorū impulsu ad arma ierint, desertos, ac proditos. Enim uero nullo modo id esse ferendum; sed arma ab exteris incives proditores uertenda; ferociter, ac minaciter conclamant. Iamq; sclopi displodi incipiebant; apparebatq; uim ultimam parari; Magistratusq; , ac qui cum illo erant ex Nobilitate, tāto circūfuso pauore perterriti, consiliiq; inopes, omissa publica cura, pro se quiq; , quomodo tantae se procella subtraheret; quaq; euaderet, circūspectare. Neq; dubitabatur, quin furore ardēs multitudo atrocia crudelitatis exempla in Nobilitatem editura esset. Caeterū Ioannes Franciscus Caraciolus periculum audacia discus̄it. Is cum armatorum globo, quos circa se habebat, templo prosiliens; cum, manu intenta, silentium fecisset; quis uobis, inquit, rabiem istam obiecit? quousq; furor uester progredietur? Nobilitatemne ad caedem depositis? En ego primus ingulum offero: hoc ferite: per meum enim latus Nobilitas uobis petenda est. Cum ad primum

primum aspectū hominis multitudini acceptissimi, cuiq; magnam fidem plebs habebat; tumultus, quo paulò ante omnia ardebant, conticuisset; Caraciolusq; homines commotos sensisset; apta temporī oratione subsecutus, iras permulxit. Docuit n. nullam subesse fraudem; armaq; , quae contra Petrum, iustissimae cause induerint; quaq; ad eum diem, nulla contracta perfidiae noxa, tractatasint; posthac sine ingenti flagitio retineri non posse: contra Caesarem enim regem suum, qui ab illis discedi imperet, Neapolitanos ituros. Dum licuit, se se illis non modo socium, sed ducem praebuisse: nunc se tanto criminē Regi suo non obstrictrum: sed in priuatas aedes illicē recessurum: sagoḡ, & armis positis, togam resumpturum; pacatumq; in publicum proditionum. Idem ut illi faciant, hortatur. Non tam oratione, quam auctoritate uiri, quae apud multitudinē supra oīa ualet; mitigati, qui furentes ira uenerāt, quieti in sua se tecta recipiūt. Ex imperio igitur Casaris arma posita sunt; obedientiaq; Petro redditā, pa-

cata ciuitas fuit. Petrusq; potens rerum factus, ciuitatem centum millibus aureorum numrum multat: ac centum, quorum i praliis, & tumultibus insignior ardor animorum fuerat; exilio damnat. quae tamen multa paulo post a Caesare ciuitati remissa est; numerusq; exulum ad uiginti redactus: qui etiam haud multò post patriae sunt restituti, praeter Mormilium, & Caracolum ac Suesanum. Nonnulli tamen uoluntarium exilium sibi concuerunt: in quibus fuit Bozutus; qui acriter in causa fuerat uersalus, uehementemq; & liberum oratorem egerat.



C A E D E S P E T R I  
L V D O V I C I F A R N E S I I  
P L A C E N T I A E D U C I S .



E A P O L I T A N Æ seditioni, ne eo anno ulla Italia pars domesticis tumultibus intacta esset; caedes Petri Ludouici Farnesij Placentiae, ac Parma Ducis continuatur: quae Placentiae coniuratione principum ciuitatis, facta est. Eam coniurationem nunc exponere pergam. Petrus Ludouicus simulatq; Ducatum iniit, longè diuerso a superioribus institutorum genere uti coepit. Pontificij. n. Legati, eorumq; Vicarij, ne potentiorum odia bono publico sibi irritarent; illorum cupiditatibus seruire confueuerant: arrogantiq; nobilitati natura insitam, connueniendo alebant. Quare illi legum metu soluti, li-

T 2 bida-

bidinem pro lege habentes, omnibus iniquitatibus tenuiores & rusticanos uexare; cōtumeliis afficere; bonis etiam & fundis, per uaria calumniarum genera euertere. At Petrus Ludouicus contrariam gerendae reipublicae, ac maximè popularem rationem ingressus, quod boni erat in Pontificio imperio, retinuit; quod mali, præcidit. nam immunitates à tributis & oneribus, aut seruauit; aut illa non multū auxit: & effrenatam Nobilitatis licetiam, iudiciorum severitate, aquabilitateq; iuris dicendi plānē sustulit. Quin etiam, quo nihil popularius est, facilem aditum ad se omnibus patefecit: statosq; dies habuit, quibus in publico, proceribus praesentibus, ad queras humilium & tenuiorum audiendas posita sella sedebat: seq; iniuriarum illis factarum acerrimum vindicem aperte ferebat. Quibus artibus duas res, ut necesse fuit, est affecutus: nam plebis, & agrestium animos mira benevolentia in se firmauit, & Nobilitatis inexpiable odium sibi irritauit. Hoc enim fere est Nobilitatis uitium;

iniu-

iuriam sese accipere putant in eo, quod facere prohibentur. Vulgo igitur indignari primores; ac fremere, sese tantaenobilitatis proceres, ab aduentio cadauerre, lutulentis uitiis inquinato, aspectu etiam ipso, & despecta oris specie inuisito a contemni; atq; omni dignitate spoliari. Cui uero non apparere, quid ille iis simulatae aequitatis artibus, quae in uiro contaminatissimo esse nullo modo potest, molliatur? nimurum ut per has species misericordum subleuandorum, Nobilitate in ordinem coacta, omnīq; auctoritate, & resistēdi audacia proceribus sensim detracta; illos tandem, simulq; plebem ipsam, innani defensionis specie in presentia latā, ac deceptam, arctissimis seruitutis uinculis constringat: indomitasaq; cupiditates in illos, si iugum acceperint, exerceat: quibus quam impotentibus rapi soleat, declarare omnem superioris uitiae cursum. Aegros sua sponte animos Ferdinandus Gonzaga, Mediolanensis ditionis Vicarius, assiduis stimulis insuper incitabat.

Is &amp;

Is & priuatum multis de causis, Farnesiae genti erat infensus ; & publicè magis in dies, in illum acuebatur. Nam multi exditione Mediolanensi, tributis & exacti-  
nibus sese substrahentes ; in ditionem Placentinam, immunitatum & aequabilitatis iuris fama attracti, commigrabant : ibi & sedes & domicilium collocabant. Et in  
lite, quae per eos dies inter utrāq; ditio-  
nem de oppido quodam Romagnesio inter-  
cessit ; Petrus Ludouicus cedere Medio-  
lanensibus noluit : sed acrem sese iurum  
ditionis suae vindicem praebuit. Hominem igitur Gonzaga ad Caesarem assi-  
duè criminari : ac formidolosum accolam  
dicere, res nouas aperte molientem : qua-  
rum occulta consilia cum Gallis cōcoquat.  
Indicio esse, quod superioribus mēsibus Stro-  
tio, ac Gallicis copiis nō modo tutum trā-  
situm per suos fines dederit ; sed commeati-  
bus etiam iuuerit ; amnes pontibus straue-  
rit ; omnibusq; rationibus iter expedie-  
rit. Illud inuidiā in primis augebat ; quod  
Genuensium motuum, & caedis Ioannis

Auriaæ

Auriaæ auctor, haud dubiè, insimulabatur. Quin contrà, Apollonius eius intimus scriba, cui omnia archana credere solebat Petrus Ludouicus ; quiq; omnīū occul-  
torū administer semper fuit, ut nullō mo-  
do eius notitiam tanta res effugere potue-  
rit ; tribus annis Mediolani in carceribus  
continenter adseruatus ; cum ab eo tor-  
mentis ea res saepè quaesita esset ; constan-  
tiissimè semper negavit, herū suum, aut auc-  
torem eius caedis, aut omnino affinem fui-  
sse. Ad haec, constans, neq; ea uana fama  
erat, quae nescio quomodo emanarat ; cum  
Farnesius filius, Legatus exercitum Pon-  
tificium in Germaniam ad Caesarem du-  
ceret, ad parentem q; inuisendum paulum ex  
uia flexisset ; auctore illi fuisse Petrum Lu-  
douicum, ut florētissimas copias in ditio-  
nem Mediolanensem converteret : quam  
ā omnibus rebus imparatam, Caesare tan-  
ta mole belli in Germania implicito, Gallisq;  
opē suam tā propinquā deferentibus, nul-  
lo negotio, nemineq; resistente, in potesta-  
tem suam redacturi essent. quod consilium

Farne-

## C A E D E S

Farnesius, ut supra diximus, aspernatus est. Quarum rerum Petrus Ludouicus cū sese apud Cesarem insimulari sensisset; nūquam se purgare satis potuit: Atrebate pro Caesare nuntiis respondente, maiorem fidē habendam Gonzagae, & Mediolanensibus, uera scribentibus. Quin etiam Caesar Alexander Vitellio suadenti, ut ad suspiciones de Farnesiorum fide susceptas prorsus extinguedas, urbem Senas illis donaret; se ne pinnam quidem de Italiae urbibus, aut Farnesijs, aut cuiquam mortaliū concessurum respondit. Ad hoc, nūquam adduci potuit Caesar, Pontifice omni ope contenente, ut concessionem fiduciariae ditionis auctoritate sua comprobaret: cum responderet, si Placentia & Parma iuris essent Romani imperij; suae fidei non esse, quicquam de rebus imperij largiri; si Pontificij, tum eas esse Pontificis partes. Quin etiam in literis, quas ad Petrum Ludouicum dabant, nūquam solitus erat adscribere, Duci Placentiae, ac Parmae; sed ueteri titulo Ducatus Castri hominem nominabat.

Ex

## P. LVD. FARNESII 89

Extanta igitur, neq; ea obscura uoluntatum exulceratione, animisq; tam utring; suspectis occasionem arripientes quatuor primae nobilitatis Placentinae Proceres, de Petri Ludouici caede coniurant. Augustinus Landus, comes Complani, Ioannes Anguisciola, Ludouicus Confalone-rius, Alexander Pallavicinus: singuli Petro Ludouico, praeter communem causam, priuatis iniuriis infensi. Ii studiis cum Gonzaga consociatis, cum Caesarem accusationibus diu fatigassent; illeq; incertus animi fluctuaretur; interuenit res parua dictu, quā Caesarem, ad eum diē nutantem, in coniuratorum sententiam tandem attraxit. Quares documento erit, à quā pars saepè, & neglectis rebus magni motus excitentur; regnq; interdum euertantur. Exegerat Petrus Ludouicus illis fortè diebus, quod reliquum erat triremium Flisco uendarum pretium. fuit aut ad aureorū numum quatuordecim millia. Eam pecuniā in interiore cubiculo, sub lecto colloccarat. Cūq; fortè per eos dies, Ioan. Bellanus; Cardinalis

Z

Gallus

Gallus, Romam petens, illac iter faceret; Petrus Ludouicus, ut uirum eminētis dignitatis apparatè, ac magnifice acciperet, mille aureos numos ex eo loco prōpsit. Motus eo in loco factus, ac mentio pecuniae in aduentu Proceris Galli, per exploratores à Gonzaga cognita; suspicionem iniecit, ingentem aliquam auri uim à Gallorum Rege ad Petrum Ludouicum, hominem Cæsari suspectae fidei missam, ad res in Italia miscendas. Huic suspicioni fidem alius cassus affirmauit. Nam, cum paucis interiectis diebus Petrus Ludouicus Parmā esset prefectus; cubicularius quidam, cui in primis Petrus Ludouicus confidebat; diligentioris custodiae causa, in eo cubiculo, iussu heri, cubabat. Is, cum sacram uirginem, cum qua incestam consuetudinem habebat, quadam nocte, de more cubitum secum accersisset; illa admirata, causam mutati cubiculi quaesivit. Ille, ut amantes nihil inter se tecti habere sciunt; simul ingenio uanus, & iactans, ut se existimatione summi apud Principem gratiae, & fiduciae

fiduciae loci, ad amatam magis commendaret; mentitur immanem auri uim ibi reconditam adseruari: eiusq; custodiam sibi uni ab herbo creditam. magnas enim res Pontificem, & herum moliri. Illa mulierbiter loquax, in coenobium reuersa, rem sodali aperit: illa alteri: & tertia quartae: & sic deinceps, donec res ad omnium uirginum notitiam peruenit: & ab illis ad cognatas & affines, quibus mos est inclusas uirgines subinde innisere: quae uiris suis ea, quae à sacris virginibus audierant, fando narrarunt: Viri, inter se, quae ex conjugibus singuli cognoverant; communi- cant. Ita res tota urbe breui diuulgata; ab exploratoribus, quorum urbs plena erat; ad Gonzagam illico perfertur. Ille Caesarem certiorem statim facit. Enim uero Cæsar non iam procrastinandum statuere; sed de caede adhuc retractare: illa excepta, ceteris assentiri. Verū, cum Ludouicus Gonzaga, Anguisiolae affinitate iunctus, qui missu coniuratorum ad Gonzagam, & Caesarem ultro citroq; itabat, omniumq;

consiliorum internuntius, & interpres fuit, Caesari dixisset; Quia tandem ratione spe-  
ras Caesar, populum in nostram sententiam  
tractum iri, nisi illi interfecti corpus ante  
oculos proiiciatur? Vos uero (inquit Ca-  
esar) rem via, quae expeditissima sit, confisi-  
te. Caesaris mandato accepto; duo ex con-  
iuratis, Landus, & Anguisciola, alias  
causas praetexentes, Genuam se conferunt:  
quo etiam ea de causa uenerat Gonzaga,  
per speciem uxoris, quae ex regno Neapo-  
litano aduenerat, excipiebat. Ibi sermones  
inter se conferunt: ac quemadmodum ducen-  
da res sit, constituunt: Placentiamq; reuer-  
tuntur. Multorum literis, & nuntiis mo-  
nitus fuerat Petrus Ludouicus: caueret  
sibi. Consilia enim de eius pernicie agitari.  
quibus ille fidem nunquam habuit: cum ad-  
duci non posset, ut crederet; superstite P on-  
tifice parente, tanto uindice, quenquam  
tantam rem ausurum. cum praesertim arx  
noua, qua ad recentem muniendi formam,  
approperato opere aedificabatur, ad eam  
altitudinem esset perducta; ut hanc procul

a sum-

à summo abesset. Ac ne ea quidem re mo-  
tus est; qua aplerisq; in omen, ac prodigium  
accepta est. Aquila enim (quod est Caesaris  
insigne) circiter quindecim cōtinenter dies  
ante caedem factam, interdiu, supra arcē,  
alis suspensa apparuit. Ibi cum aliquandiu  
circumuolasset; tandem auolabat. Coniurati  
Placentiam reuersi, multas & expeditas  
facultates habuerūt hominis interficiendi:  
medius n. inter illos per urbem circumec-  
tarī solebat: sed arcem ueterem, quod erat  
Petri Ludouici domicilium, locum caedis  
destinarunt: ne si extra illam, rem confecis-  
sent, arx in potestate Farnesiorum remane-  
ret. Igitur cum dies constitutus uenisset;  
Anguisciola & Confalonierius cum clienti-  
bus, sclopos breuioris formae sub ieste te-  
gentibus, arcem de more ingrediuntur.  
Cumq; in aulam penetrassent, Confalone-  
rius cum comitibus subsistit. Anguisciola,  
cui cum Petro Ludouico familiarior erat  
usus, cum uno tantum comite primum cu-  
biculum ingreditur: cum iam Petrus Lu-  
douicus, a prando, in cubiculum interius  
seces-

secessisset: ibi⁹ deambulare coepit, signum constitutum à Lando expectans. Landus paulò post, cum haud exiguo clientium numero (neq; erat comitatus suspectus; quod eorum magnum numerum, ut summae nobilitatis Proceres, circum se semper habere consueissent) arcem ingreditur: quæ prætorij quoq; usum habens, Magnatibus Principem adeuntibus semper patebat. statimq; ingressus sclopum, ut conuenerat, disploidit; ac stationem, quæ erat ad portam, eorummet hastilibus arreptis, improuisò, ac nihil metuentem adortus, obtruncat; portamq; in suam potestatem redigit. Sclopis sonitu exaudito, Anguisciola subito in interius cubiculum irrumpit: Ibi Petrum Ludouicum inermem, omnibus membris captum, & ad sustinenda arma inualidum, gladio transfigit. Eodem temporis momento, Confalonierius Germanos corporis stipatores, qui oës in aula hastilibus positis, aleæ erat intenti, sclopis in incertos displosis, necat. Euestigioq; Pallavicinus, qui extra arcem cum magna armatorum ma-

nū in proximo substiterat; sonitus sclopi exaudito, accurrit; atq; intra arcem cum tota manu à Lando accipitur. Proceres, foribus obseratis, arceq; in potestatem redacta; bombardæ ter displosæ sonitu, signum Caesarianis dät: qui magno numero à Gonzaga misi nocte iter fecerant; atq; in finibus ditionis Mediolanensis, propè Placentiam circiter passuum millia decem, occulti substiterant. Fama de caede Ducis tota urbe diuulgata, ingentem tumultum subito excitauit: populusq; omnis momento temporis in armis fuit; & in aream ante arcem omnis multitudo conuenit. Proceres ex anime corpus ex fenestris in aream propiciunt: Tyrannumq; sese interfecisse clamitantes, concitatam iram mitigare studient. Eorum orationē plebs auribus aspernatur: seseq; acerrimos conseleratae caedis fore ultores, minaciter uociferantur: momentoq; temporis, equitum alae armis arreptis, equisq; consensis, se populo adiungunt. Quibus rebus percussi Proceres, animo concidunt. iamq; fugae consilium coepерант;

perant; ni plebs area, nescio qua de causa, relictā, in partem urbis ab arce aduersam concessisset. quare Proceres iterum collectis animis, manere constitūunt. Interea Caesariani, pluribus agminibus Placentiam peruenientes, in arcem subinde introducuntur. Sub uesperum Alexander Interramas, copiarum Praefectus, optimum facturatus ad Parmam praesidio firmādam accedere, ne ea quoq; urbs ab hoste taretur; cum equitatu, atq; omnibus copiis, quae merebant, Placentia discedit. Plebs cum se solam relictam, militumq; praesidio nudatam uidit; ipsa quoq; arma ponit: seq; unusquisq; in sua tecta recipit. Proceres, affirmantes sese in Ecclesiae ditionem reddituros libentissimè fuisse, ni superstitem paulum necis filij hāud dubium uindicem merito horrerent; urbem in potestate redactam Caesarianis tradunt. Illudq; omittendum non est; in Caesariis nomine proclamando, nonnullos clarissima uoce nomen Romanae Ecclesiae subiecisse: mansueti imperij, ac populos oneribus minime

nime gravantis memores. Ita nobilissima urbs, uirtute Iulij secundi Romana Ecclesiae adiecta, successorum culpa ab ea abiit. Interea Sfortia, comes Fani Florae, qui tum fortē in finibus Parmensibus erat; cade audita, statim Parmam aduolat; Gonzagae monitis auribus non admisiis; qui magnopere homini suadebat, ne sese Caesaris, tanti Principis, in cuius ipse clientela esset, uoluntati opponeret; neue in rebus Parmensibus interponeret: cum respondisset, se quidem summa studia Cae-sari debere, nunquam inficiaturum; Verum longè arctiore, & affinitatis, & be-neficiorum necessitudine Pontifici obnoxium: quem deserere non esse fidei sua. Illum igitur Parmenses subito urbi, & armis præficiunt, cū quatuor armatorū milia ex prouincialibus delectibus urbe intrasent. Mox nuntiū à Gōzaga superueniunt; urbem, quæ esset iuris Mediolanensis, Caesari tradi postulantes. Iis, de Magistratus & consili sententia, Sfortia respondet; sese Ecclesiae Romanae fidelissimos semper fuisse.

proinde neminem dominum, nisi illam, aut quem illa dedisset; unquam habituros. Eodem tempore Ioannes Angelus Medicius, Vicarius Legati Bononiensis, recognita, incredibili celeritate sex peditum signa conscribit: citatumq<sup>z</sup> agmen Parmam rapit: urbemq<sup>z</sup> ingressus, nō parum Parmensium animos cōfirmauit. Neq<sup>z</sup> multò post, Octavius filius eō peruenit; nouas copias secum ducens: ut esset peditum merentium numerus omnino triummillum, equitum quadrigentorum: quo praesidio urbe firma ta, Octavius discedit. cui succēdit Praefectus, Camillus Vrsinus, à Paulo missus. Arci autem praefectus est Mutius Mutus, Romanus ciuis: qui illam Octaviū nomine obtinebat. Petri Ludouici caedes hanc dubiè magnorum motuum, magnarumq<sup>z</sup> turbarum causa Italiae futura fuerat; Gallosq<sup>z</sup> & Caesarem inter se, non sine ingenti totius Europae motu, fīnesto bello commissura; si aut Paulo uita longior contigisset; aut Franciscus non paulò ante discessisset. Neq<sup>z</sup> enim dubitatur, quin Franciscus

ciscus inexpiabili odio Caesari infensus, quiq<sup>z</sup> cogitationem de eius pernicie omnibus consiliis semper aluiisset; occasiōē Pontificiae societatis, non à se appetitae, sed ultrò cupidissimè delatae esset arrepturus. cum praeſertim de Pontificis societate, & constantia, tantis à Caesare & in re, & in existimatione, & in sanguine affecti iniuriis, haud quaquam esset dubitandum. Cum etiam specioso, & populari titulo Italicæ libertatis afferēdae, ac Ducis in Mediolanensi ditione constituendi, multos ex Italicis Principibus, ac populis, si non ad apertam societatem, saltem ad opem occulte ferendam sese attracturos, haud desperādum esset. Mors Francisci peropportuna quieti Italiae fuit. Henricus enim, et si neq<sup>z</sup> animum imbellem gerebat; ut res postea docuit; neq<sup>z</sup> cursum regni sui imbellem trāſire in animo habebat; tamen alienum tempus ratus, Caesarem in tanto felicitatis cursu, atq<sup>z</sup> in tam alto fastigio, Germania perdomita, collocatum bello lacescere; simul regni sui curam propiorem sibi ducens;

initia sua in rebus, dissoluta parentis negligentia multifariam collapsis, restituendis & emendandis ponere decreuerat. Nullis igitur persuasionibus, nullaq; magnarum rerum spe, a Paulo ad belli consilia potuit impelli. qua spe destitutus Paulus; ad illud consilium, quod reliquum erat, Caesarem sibi placandi, necessario conuertitur. Ceterum commodius uisum est, per nepotes rem tentare. Mitteritur igitur Margaritae, & nepotum nomine ad Caesarem Iulius Ursinus. qui cum in eius conspectum uenisset, deplorata primum miserabili Petri Ludouici cade; se a Margarita, et fratribus Farnesiis missum dicit, oratum, ut Farnesiis, quos infidem acceperit, quin etiam affinitate sibi iunxerit; miseros & orbatos, tuendos suscipiat: ac Placentiam illis imperet restituui. Comiter, & blandè accipit Ursinum Caesar; benigneq; respondet. Bono animo sint Farnesiij. sese enim illos filiorum loco semper habiturum: neq; ope sua unquam deserturum. Quod ad Placentiam

tiam attinebat; ad Granuelanum hominem reiicit. Granuelanus ab Ursino aditus, longe alio uultu, longeq; alia oratione hominem accipit. Perfidiam n. Petri Ludouici grauiter incusat: à quo occulta cōsilia cum Gal lis, Casaris in Italia euertendi, agitata sint. Ea omnia emanasse, ac Casari plane esse cōperta. nam illo auctore Ioannem Auriam caesum; ut Fliscus rerum potens factus, Gallos Genuam introduceret: atq; illinc Galli cum maximis copiis, alpibus superatis; hinc ipse cum Italicas uiribus, Mediolanensem ditionem inuaderent. quibus de causis Margarita, Regis filia, Farnesio Cardinali in matrimonium dabatur. Discusisse Deum immortalem nefaria consilia. Neq; uero iniussu Pontificis tantas res moliri ausurum fuisse Petrum Ludouicum; quas sine illius opibus, ne exequi quidem potuisset. quinimò cui non apparere Pontificem eiusmodi consilia iam diu animo uoluentem, ideo Caesarem ad bellum in Germaniam suscipiendum hortatumesse; ne Caesar tanta nego-

negociorum mole implicitus, res Italicas respicere posset; ac proinde iter sibi expediret ad cogitata perficienda? Ursinus non se ad Petrum Ludouicum purgandum missum dicere; neq; ea se à Farnesijs mandata habere; sed ad ipsos Caesari commendādos. qui, qualiscunq; tandem Petrus Ludouicus fuerit; egregiam ipsi, & sinceram fidem erga Caesarem semper coluerint. proinde cum ipsi extra omnem noxam sint; non debere Petri Ludouici consilia, qualiacunq; fuerint, ipsis fraudi esse. Instare proinde, ut Placentia illis restituatur. Hic Granuelanus dicere, Placentiam & Parmam notae ditionis Mediolanensis semper fuisse: quae ditio sit iuris Romani imperij: neq; fidem Caesaris, aut iustitiam ferre, ut is iura imperij imminuat: quae contrā amplificare debeat. Placentiam igitur nullo modo restituturum. quin contrā postulare, ut Parmam quoq; Caesari tradant. Id si facere in animum inducant; Caesarem, tot ditionibus, sive in uno, sive in pluribus ex regnis suis malint, rem compēsaturum, quorum

quorum uectigalia, non modo ea, quae ex Placentia & Parma percipientur, aquet; sed duodecim millibus aureorum numum superent. Ursinus ad Caesarem reuersus, negat Pontificem Parmam unquam traditum; aut compensationē accepturum: Cum praeſertim illud conſtet; Placentiam & parmag in ius Pontificium, multis abhinc annis, ceſſe. Negare id Casar: seq; paratum dicere, ut res per iudicium cognoscatur: aequorumq; iudicium ſententia libentissimē ſe ſtatūrum confirmare. Ursinus respondere: ius eſſe, ut electi prius in possessionem restituantur; deinde res in iudicium ueniat. Nihil opus eſſe, reponde-re Caesar, tot ambagibus: nam ſi Farnesij, etiam ſine iudicio, doceant, Placentiam & Parmam in Pontificem traſlatas; ſeſe Placentiam illico restituturum: eius rei ſe fidē dare. Cum hoc reponſo, quod deſcripto datum ſecum tulit; dimittitur Ursinus. Cui etiam Caesar literas dedit ad ipsum Pontificem, humaniſsimē & per amāter scriptas. quae res illis initium fuit li- teras

C A E D E S

teras inter se dandi ; quo officio post cae-  
dem Petri Ludouici uterq; abstinuerat .  
Legatione renuntiata , literisq; Caesaris Pō-  
tifici redditis ; iterum reuertitur Vrsinus ,  
dato mandato , ut instet de Placentiae re-  
stitutione : quae haud dubiè cum Parma  
postquam oppignorata fuit , ex novo foede-  
re translata sit in Romanam Ecclesiam .  
tabulas se interea foederis , & translatio-  
nis perquisituros ; exemplumq; illi , quod  
Caesar ostēdat , transmissuros . Paucq; post ,  
tabulis inuentis , ad Vrsinum exemplū mit-  
titur . Is illud Caesari ostendit ; ac promis-  
sifidem implorat . Caesar laetari se in pri-  
mis dicit , facultatem sibi ex eo foedere da-  
ri ; qua sine inuidia rerum Imperij aliena-  
tarum , Farnesiis , qui filiorum charitatem  
apud se obtineant , gratificetur . quāquam  
se eius foederis , haud quaquā memorem  
esse . neq; id mirum : nam tum , cum sanctū  
dicatur ; se in media adolescentia , iuueni-  
libus cogitationibus , ac lusibus animo di-  
stento , neq; rebus gerendis uacante ; omni-  
bus , quaecūq; ad se scribae & ministri de-  
ferrent ,

P. LUD. FARNESII. 97  
ferrent , subscribere solitum , plerung; igna-  
rum quae inscripto continerentur . Men-  
dozæ igitur Legato suo apud Pontificem ,  
qui tum erat Senis , per literas mandat , ut  
tabulas foederis inspectiat : ac si in illis Pla-  
centia , & Parma Ecclesia Romanae ces-  
sum scriptum sit , Placentia euestigio Far-  
nesij restituatur . Vrsinus cum ys māda-  
tis laetus reuertitur ; rē confectam putans .  
atq; in itinere literis Caesaris Mendozæ  
Senis redditis , illo comite Romam perue-  
nit . Romae foedus Mendozæ ostenditur ,  
non in tabulis ipsis archetypis , in quibus  
Caesaris chirographum esset ; sed codex , qui  
in mole Hadriani adseruabatur ; in quem  
iura Ecclesiae Romanae describi solent . In  
hunc , testibus praesentibus , & compluriū  
scribarum chirographo descriptæ erāt foe-  
deris tabulae : archetypi inuenti non sunt .  
Fama est , Clemente Pontifice mortuo , scri-  
bam illius quendam Neapolie eas tabulas ,  
quae erant apud se , Caesaris occulto tradi-  
disse , eius gratiam eo facto captans . Men-  
doza , re inspecta , ac Iurisperitis consultis ,  
B B de eo-

*C A E D . P . L U D . F A R .*

de eorum sententia respondet : fidem nullā  
habendam codici, aut tabulis Caesare non  
monito neque eius legato adhibito; descri-  
ptis. nihil legitur se facere posse, nisi Caesare  
consulto. Tertio igitur ad Caesarem mit-  
titur Vrbinus : qui nihil impetrare potuit;  
Caesare semper excusante, fidem suam non  
ferre, ut res Imperij alienet. Itaque omni  
à Caesare spe destitutus Paulus, omissa  
consilia cum Gallis repetit: eaq;  
cum Henrico iterum moliri  
coepit, quae suo loca  
scribemus.

*F I N I S .*

*E R R A T A*

A car 2.b.20. exempli diuinæ l. exempli ac Diuinæ. 4. a 4.  
obstat.l. obstabat 4.a.2 1. dimitteret.l. demitteret. 9. a.  
20 causas.l. causas se. 16. b. 24. præparatos. l. p. præpara-  
to. 19.b.3.habeantur.l.habebatur. 19.b.7.ortis.l.hortis.  
22.a.3.præcipitem.l.præcipitem. 9.b.16 deplenos.l.  
deprehensos.33.a.5.iuregij.s.l.iurgijs.36.b.5. quorū. l.  
quorsū.50.b.15.& natura.l.& natura &.54.a.24.nō nō.  
l.nō.60.a.14.acceditur.l.accedunt.68. b.3.tertio.l. ter-  
tium.72.b.10.immodestia.l.modestia.74. b. 13. irri-  
tac. irritatus.74.b.16.peruenisset.l.peruenissent.75.  
a.2.opera.l.operæ.77.b.14.præceps.l.præceps non. 91.  
a.4.continenter.l.cotinentes.93.b.23.Franciscus.l.Frā-  
ciscus Gal iarum Rex.95.a.1.homin l. hominem.

Sunt & alia nonnulla , quæ eo dimisimus, quod neque  
sententiam obscurare, & nullo negotio à lectore cor-  
rigi possunt.